



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

Tertia Pars, De Decem præceptis Decalogi, & quinq[ue] Ecclesiæ, constat
33. Capitibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

TERTIA
PARS, DE DECEM
PRÆCEPTIS DECALOGI,
ET QVINQVE EC-
CLESIAE.

IN hac parte hic ordo seruabitur. Antequam primum Decalogi præceptum declaretur, de virtutibus Theologicis, quæ à quibusdam ad primum præceptum reducuntur; quamuis in Decalogo non contineantur, sed ad illum præsupponantur, vt graues Doctores tradiderunt, breuiter agatur, nec non etiam de vitijs, dictis virtutibus oppositis. Deinde præcepta Decalogi, secundum ordinem explicabuntur cum casibus necessarijs, & in præcepto non furaberis; materia restitutionis, & contractuum, prout institutionis ratio postulabit perstringentur. Tandem Ecclesiæ præcepta adiungentur.

R 2

CA-

CAPVT I.

DE FIDE, ET VITIIS

fidei contrarijs.

FIDES, est virtus à Deo infusa, per quam firmiter credimus omnia, quæ reuelata sunt à Deo; vel vt S. Paulus definit, est sperandarum substantia rerum, argumentum nõ apparentium. Actus fidei est duplex. Interior, & Exterior.

Hebr. 11.

Interior, credere: Exterior, confiteri fidem iuxta illud Apostoli. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

*Rom. 10.**Quæ tenentur fideles credere?*

QVILIBET fidelis tenetur implicite in illo articulo. Credo quicquid sancta mater Ecclesia credendum præcipit & tradit: omnes fidei articulos credere: Non tamen æqualis obligatio fidei explicitæ, cunctos Christi fideles tangit: Nam maiores, quorum officium est alios erudire, & illuminare, pleniorẽ & clariorem de credendis notitiam habere tenentur: Singuli, autem qui Ecclesiam ingressi sunt, & vsu rationis vtuntur, obligantur ad explicitè credendum illos articulos, qui continentur in symbolo fidei, & solemnizantur in Ecclesia, iuxta doctrinam S. Thom. receptam. 2.2.q.2.art.6.&7.

Quan-

Quantum ad exteriorem fidei actum, cum sit de necessitate salutis, quilibet serio de sua fide interrogatus, eam confiteri tenetur, scriptum est enim. Qui me erubuerit coram hominibus, &c. Et qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre meo, *Matth. 10.*
 &c. S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. Caiet. ibidem. Martinus Nauarr. in comm. cap. Inter verba. II. q. 3. præludio 3.

Quare, si quis in persecutione suam fidem negaret, vel alienam profiteretur, quamuis id metu mortis, amissionis honoris, & bonorum temporalium faceret, grauissimè mortaliter peccaret, etiamsi in corde rectam Catholicamque teneret: Non tamen hæreticus censendus foret: quippe qui interiori actu optimè desiderentiret, quod hæresi repugnat.

Hoc non obstante, fidè, necessitate & iustificatione exigente, occultare licebit; quando seria interrogatio de fide non vrget, nec confessionem Dei honor, aut proximi scandalum exposcit, vt ex facto S. Sebastiani, qui diu Christianus fuerat, antequam religionem proderet, apertum est.

De varijs fidei oppositis.

FIDEI opponuntur, Infidelitas, Hæresis, & Apostasia. Nam aut aliquis nunquam fidè suscepit, & est infidelis, aut susceptam deseruit, & sic si totam fidem reliquit apostata est: Si

R 3 autem

autem aliquam partem, aut articulum, hereticus censendus erit.

De Infidelitate.

INFIDELITAS est duplex. Vna negatiue, cum quis ignorat omnino fidem, nec predicantem audiuit. Alia est, Infidelitas contrariæ, seu præuæ dispositionis: quando aliquis repugnat fidei, vel etiam contemnit, & hæc fidei opponitur. Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, sicut gentiles, aut Iudæi, nõ sunt compellendi ad fidem: eo quod fides liberam voluntatem exigit. De Iudæis & Saracenis. cap. Sicut Iudæi, &c. Quid autem. Qui autem fidem susceptam deseruerunt, vt hæretici & apostatæ: sunt compellendi, vt implerant, quod promiserunt & teneant, quod semel susceperunt.

De Heresi.

HÆRESIS, est error contra fidem eius, qui eam professus est in Baptismo, cum pertinacia. Pertinax intelligitur, qui scit aliquid esse contra fidem Romanæ Ecclesiæ, nihilominus, voluntariè sentit contrarium: Vnde sequitur aliquem in rebus fidei errare sine crimine hæreseos, si suum iudicium paratus sit submittere censuræ Ecclesiæ, sic Augustin. cõfidenter dixit. Errare poterò, sed hæreticus non ero.

Non

Non solum hæreticus est, qui pertinaciter *Dubius in*
 errat in fide, sed etiam dubius in fide, ex cap. *fide etiam*
Dubius de hæret. Tritum enim dictum est. *hæreticus*
Dubius in fide infidelis est. Si quis autem ex *est.*
 humana fragilitate, aut tentatione inimici,
 incidat in cogitationem dubiam circa aliquem
 articulum fidei, cui non consentit, sed resistit
 conformando se iudicio Ecclesie, non pec-
 cat; aut saltem venialiter, si negligenter resistat.
 Ut hoc melius intelligatur, aduertendum du-
 bium esse duplex. Vnum affirmatiuum, cum
 quis affirmat esse dubium, quod Ecclesia fir-
 miter credit, & talis dubitatio est hæresis. Ali-
 ud negatiuum, quando nihil affirmat, sed
 fluctuat mente nihil contrarium definiendo,
 & sic dubitare est fidei infirmitas. Ad fidei in-
 tegratem spectat, ut aliquis credat omnia,
 quæ Catholica Ecclesia credenda proponit:
 Sicut enim hæreticus est, qui in multis articu-
 lis recedit ab Ecclesia, sic etiam qui in vnico
 dissentit à definitione Ecclesie. Firma est e-
 nim Athanasij in principio symboli regula.
 Quicumque vult saluus esse, ante omnia opus
 est, ut teneat Catholicam fidem: Quam nisi
 quisque integram, inuiolatamque seruauerit
 absque dubio in æternum peribit.

*Duplex
 potest esse
 dubium.*

Ad hæresin refertur schisma, quod non fi-
 dei, sed vnitati & charitati Ecclesie opponi-
 tur. Schisma autem est, quando aliquis non
 quidem retrahit se ab obedientia Romanæ

Ecclesiæ, sed suam dicit esse Romanam, ut contingit, quando duo sunt electi Pontifices, & vnaquæq; pars eligentium contendit apud se esse Ecclesiam, tunc schisma committitur ab ea parte, quæ non est parata obedire illi, qui pro legitimo dignoscitur.

De Apostasia.

APOSTATA græcè, latinè defertor, vel transfuga dici potest. Apostasia autè est, quando homo recedit ab eo, ad quod iuratione officij aut status tenetur, & est triplex, A fide, obedientia seu lege Dei, & Religione.

*Apostasia
est triplex.*

A fide, quando aliquis recedit à fide suscepta, & alienam acceptat: ut si Catholicus à nobis ad Turcas vel hæreticos deficiat. Ab obedientia seu lege Dei, quando quis recedit à Deo, & præceptis eius, nolens ei villo pacto inferuire, quæ quidem discessio ex parte, in omni peccato reperitur, sed propriè est, quando quis ex electione à tota lege recedit; Sicut fecit Lucifer cum suis consortibus.

Apostasia à religione, est discessio à religione, & ordine, & potest esse duplex à religione; regularium, & Clericorù secularium. De peccatis hæreticorum & Apostatarum à fide, legendi canones in tit. de hæreticis, & Apostatis, & Doctores ibidem, & Summistæ in verb. Hæresis, & Apostata.

CAPVT II.

DE SPE, ET PECCATIS

contrarijs.

SPEs, est virtus à Deo infusa, per quam certa cum fiducia expectamus. à Deo vitam æternam, & media ad illam ex Christi gratia, & nostris meritis, quæ suam dignitatem ex gratia consequuntur. Spei actus, est sperare in Deo.

Duplex est spes, sicut etiam timor. Mercenaria, quando homo ob solum præmium cōsequendum Deo inseruit, & in Deum sperat: & filialis, quando quis liberaliter Deo inseruit, principaliter non intendens præmium, sed amorem ei debitum.

Spes est duplex.

Tenetur autem homo sub præcepto sperare, quando pœnitere de suis vult peccatis: aut grauis desperationis tentatio pulsatur, quæ contraria virtute vincenda: aut oratio facienda est: nemo enim petit, quod se consecuturum desperat.

Spei duo vitia opposita sunt: Alterum in defectu scilicet desperatio. Alterum in excessu præsumptio.

Spei opposita.

Desperatio est, quando diffidimus de Deo, eiusque gratia, & viribus nobis desuper datis, & impossibile ducimus futurum, vt salutem

consequamur, & media ad illam. Est peccatum in Spiritum sanctum, quia fontem diuinæ misericordiæ claudit.

Præsumptio, est vana & falsa spes, qua homo se sine medijs à Deo constitutis, ad æternam gloriam, & felicitatem peruenturum præsumit: vt sine pœnitentia, bonis operibus, auxilio Dei. Ad hunc ordinem spectant, qui iactitant, regnum cœlorum non bestijs, sed hominibus paratum, ignorantes ignem æternum etiam non capris, & brutis, sed Dæmonibus, & malis hominibus constructum. Præsumptio cum sit contra diuinam iustitiam, est etiam peccatum in Spiritum sanctum: hoc potissimum peccant, qui dicunt: Misericordia Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

Ecclesi.

CAPVT III.

DE CHARITATE.

CHARITAS est virtus à Deo infusa, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum: ex qua definitione elicitur duplex charitas, Dei, & proximi, & de vtraque est præceptum Euangelicum, Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuum sicut te ipsum.

Quatuor ex charitate diligenda sunt, iuxta

S. Au-

S. August. lib. 1. de doctrina Christiana. cap. 23.
& 26. quæ explicat S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 12.
Deus, Proximus, Corpus nostrum, & nos ipsi.
Et in dilectione, sub præcepto hic ordo ser-
uandus est, vt Deus diligatur super omnia. 2.
anima nostra, anima proximi. 4. corpus no-
strum. 5. corpus proximi. De hoc ordine S.
Thom. loc. cit. q. 26.

Modus diligendi Deum in scriptura signi-
ficatur, Diliges Dominum Deum tuum ex
toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex om-
nibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Ber-
nard. de diligendo Deo dicit, quod modus di-
ligendi Deum est, sine modo diligere, Ex qui-
bus verbis constare videtur, Deum non solū
appretiatiuè, sed etiam intensiuè super omnia
diligendum, vt more Scholasticorum loquar.

Modus diligendi proximum, etiam in præ-
cepto declaratur, quando dicitur. Diliges si-
cut teipsum affectu, & actu, in ordine ad gra-
tiam, & salutem in præsentem, & ad vitam æter-
nam in futuro; significatur in dictis verbis si-
militudò, & nullius exceptio, non tamē æqua-
litas, vt ex ordine charitatis colligitur.

Nomine proximi, intelligitur omnis crea-
tura rationalis nobiscum capax æternæ sa-
lutis.

In dilectione proximi, hic ordo secundum
Augustini consilium seruetur, vt quando
omnibus prodesse non potes, his potissimum
con-

*Libr. 1. de
doctrina*

*Christ. ca-
pit. 28.*

con-

consulendum est, qui pro locorum & temporum, & quarumcunque rerum opportunitatibus, constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur.

De dilectione inimicorum.

CVM omnis homo, etiam inimicus proximus noster sit, secundum fidem Catholicam, & Euangelicam veritatem, ex præcepto oportet diligere inimicos in communi, & eis generalia charitatis signa, quæ multitudini exhibentur, impendere: ut sunt resalutare salutantem, videri merces expositas sicut alijs, &c. Contra quosdam hæreticos, qui ex scriptura malè intellecta dixerunt inimicos odio habendos, de quibus Alphons. Castr. in lib. de hæres. in verb. Inimic. constat ex Evangelio. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filij patris vestri cœlestis, ergo à contrario, qui non diligunt inimicos, non sunt filij patris cœlestis, sed Dæmonis.

Matth. 5.

*In inimico
duo considerantur.*

Aduertendū pro conciliatione sacræ scripturæ, quæ in hac materia indocto videbitur sibi contraria, quod in Inimico duo possunt considerari: peccatū, & natura. Quo ad peccatum non sunt diligendi, sed quo ad naturam, quatenus homines eiusdem naturæ nobiscum, & ad eundem finem, scilicet æternam felicitatem creati. Quando scriptura insinuat inimicos odio habendos, intelligitur quantum

tum ad peccatum: Quando Saluator præcipit diligendos, quo ad naturam communem; sic enim & proximi nostri sunt, & eiusdem naturæ consortes. Dictum (in communi, & generalia charitatis signa) quia quamuis abundantioris charitatis esset, particularia charitatis officia inimicis impendere, ad id nemo tamen obligatur nisi in præparatione animi, si necessitas extrema spiritualis, aut corporalis postulet; aut ad euitandum scandalum requiratur.

Potest etiam superior suo inferiori, quandoq; correctionis gratia particularia amicitiae signa denegare, exemplo Dauidis, qui Absoloni filio suo peccatum quidem remisit, sed ad conspectum suum admittere noluit. *1. Reg. 14.*

Ad charitatem quoque Christianam spectat, ut qui iniuriam alteri intulit siue per se, siue per alium, reconcilietur iuxta præceptum Christi: Vade reconciliare fratri tuo, & tunc *Matth. 5.* offeras munus tuum. Reconciliatio autem ita *Quomodo* fiet, ut si corde offendit, corde reconcilietur: si *reconcilia-* verbis, verbis: si facto, facto satisfaciatur. Non *tio facien-* tamen obstante hac reconciliatione, potest *da.* exigere reparationem damni, si quod passus sit contra iustitiam. Superior quoque in hoc casu, modo odium animo repulerit, non tenetur inferiori reconciliationem offerre, ne regendi autoritas diminuat, præsertim quâdo correctio hoc postulat: Quæ enim pro charitate

tate instituta sunt, contra charitatem militate non debent.

De Eleemosyna, quæ est actus charitatis erga proximum.

*S. Thom.
2.2.9.32.*

1. Ioan. 3.

ELEEMOSYNA, est actus charitatis erga proximum, quo subuenimus alterius indigentia ex compassione, propter Deum. Omnibus notum esse debet illud Ioan. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitate habentem, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Duo sunt genera Eleemosynarum, Corporalia, & Spiritualia.

CORPORALIA sunt septem. Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire. Quæ continentur hoc versu.

Visito, potio, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

SPIRITUALIA sunt hæc septem. Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recta consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere: In præsentia agemus de corporali eleemosyna.

De materia Eleemosynæ legendi præ cæteris

teris S. Thom. 2. 2. q. 32. Alij scholastici in 4. sentent. d. 25. & 16. Ioan. Medina in C. de eleemosyna, Iosephus Angles doctissimè in florib. Theologic. sentent. in 4. sentent. part. 1. in tractat. de eleemosyna. Summistæ in verb. Eleemosyna, & sancti patres mox citandi in præcepto de eleemosyna.

An præceptum sit de Eleemosyna, & in quibus casibus obliget?

ELEEMOSYNA est in præcepto, ex loco Ioan. cit. & Luc. II. Quod super est, date eleemosynam, & probatur efficaci ratione, Nullus punitur pœna æterna pro omissione eius, quod non cadit sub præcepto: sed aliqui puniuntur pœna æterna pro omissione eleemosynæ, Matth. 25. Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Ite ergo maledicti in ignem æternum.

Quoniam præceptum eleemosynæ affirmatiuum est, non obligat omni tempore. Ut igitur intelligatur, quibus in casibus præceptum obliget. Notandum in primis. Superfluum aliquid dicitur dupliciter: Primo, Superfluum naturæ, quod alicui superest demptis necessarijs ad vitam suam, & sibi commissorum. 2. Superfluum status, quod super est alicui deductis necessarijs ad vitam, & decentiam sui status, etiam habita consideratione casuum, qui probabiliter occurrere possent: & hoc

*Superfluum
aliquid duplici modo
dicitur.*

& hoc in loco, sub decentia status continetur etiam, quæ spectant ad sustentationem filiorum, & filiarum, famulorum, & simillarum rerum, prout recta ratio suadet, & vocatur etiam superfluum personæ.

*Necessitas
triplex.
Extrema
quæ sit.*

Secundo, Necessitas siue indigentia triplex potest considerari: Extrema, Grauis notabilis siue arcta; & communis. Extrema censetur necessitas, quando quis in tali periculo constitutus est, vt probabiliter cadat in morbum, vel periculum mortis, nisi subsidium accipiat. Non enim requiritur ad extremam necessitatem, vt pauper iam animam agat, quia tunc amplius nõ indiget eleemosyna, sed sufficit morale periculum incidendi, & non est alius, qui subueniat.

Grauis necessitas intelligitur, quæ est citra extremam. Communis quando pauper egenus est, potest tamen viuere sine vrgenti necessitate, licet non ita commodè. Nunc pro resolutione, præceptum eleemosynæ, in duobus casibus obligat sub peccato mortali.

*In duobus
casibus præ-
ceptum Eleemosynæ
obligat.*

Primus, Quando aliquis habet superflua naturæ, & petens eleemosynam est in extrema necessitate: In hoc omnes Doctores conueniunt.

Secundus. Quando quis habet superflua naturæ & status, etiam si pauperes non sint in extrema necessitate, sed alia notabili. Probatur d. 42. capit. 1. Ex Hieronym. & d. 46. cap. Signa

ex Ambros. & 14. quæst. 4. cap. Quid dicam.
 Hanc sententiam citra dubium tenet S. Tho-
 mas. 2. 2. quæst. 32. art. 5. & q. 66. art. 7. in corpo-
 re. & quæst. 87. art. 1. ad 4. & in 4. sentent. d. 15.
 quæst. 2. art. 1. quæst. 2. Quare malè pro se tor-
 quent Panorm. in cap. Si verò, de iureiurand.
 Antonin. 2. part. tit. 1. capit. 14. & Rosella in
 verb. Eleemosyna. Contra quos S. Thomam
 defendit Caietan. Tom. 2. tractat. 5. de præ-
 cepto Eleemosynæ. S. Thomam sequuntur Ni-
 colaus Lyranus, & Dionysius Carthusianus
 super Ioan. 3. in illa verba. Qui viderit fratrem
 suum necessitatem habentem, &c. Conrad.
 de contractibus q. 19. conclus. 3. Richard. in 4.
 sentent. d. 15. artic. 2. q. 2. Ioan. Maior, ibid. q. 5.
 Angelus, Syluest. & Aurea Armilla in verb.
 Eleemosyna. Nauarr. in Manuali, capit. 24.
 num. 5. & ante hos Sancti Patres Hieronym. in
 Epist. 150. Chrysof. homil. 34. ad populum, &
 hom. 75. in Matth. Ambros. clarius omnibus
 in sermon. 81. Basil. homil. 6. in ditescentes
 auaros, Gregor. 3. part. curæ pastoralis admon.
 22. Hæc sententia plurimum valet ad concutien-
 dos animos auarorum, qui magis de thesauro
 faciendo, quam auxilio pauperibus præstando
 cogitant: prædicta sententia maiori confir-
 matur autoritate, & validioribus rationibus
 fulcitur.

In contrarium, quod habens superflua na-
 tura, & status, teneatur nisi dare extremè e-

S genti

genti ex præcepto; tenent Panorm. Antonius, Rosella locis citat. Gerson in regulis moralibus, & Durandus in 4. & alij nonnulli recentiores, quorum autoritas minor est, & rationes parui momenti.

Omittens dare eleemosynam, etsi mortaliter peccet non tamen tenetur ad aliquam restitutionem.

Cum dare eleemosynam spectet ad charitatem, omittēs largiri in casu præcepti, quamuis mortaliter peccet: non tamen tenetur ad restitutionem, quia iustitiæ violatio & non charitatis, inducit restitutionis obligationem, vt optimè tradit Nauarr. in Manuali, capit. 24. num. 7. & in Apologia de rebus Ecclesiasticis. quæst. 2. monitione 2. & alij alibi.

Ex quibus bonis Eleemosyna fieri debet?

Proverb. 3.

EX rebus proprijs. Scriptum est enim: Honora Dominum de tua substantia, ac de iustis laboribus tuis. Hinc deducitur, quod eleemosyna non debet fieri ex bonis restitutioni obnoxijis; vt sunt, quæ acquiruntur furto, rapina, vsura, fraude, dolo, alijsque iniustis titulis, & modis. Potest tamen fieri ex bonis per fornicationem, meretricium, aut modum turpem acquisitis: & ratio huius est, quia licet turpiter & malè acquisita sint, tamē iustè possidentur: nam acquiruntur per huiusmodi turpes modos dominum, nec competit repetitio danti. S. Thom. 2. 2. quæst. 32. artic. 7. Syluest. in verb. Eleemosyna. Ioannes Medina in cap. de Eleemosyna, quæst. 1. Iosephus Angles in flo-

floribus in 4. i. part. in tract. de Eleemos. q. 6.
& alij alibi.

Quis potest dare Eleemosynam?

OMNIS, qui est sui iuris, & alterius potestati nō subiectus, & possidet bona propria. Qui autem alteri subiectus est, non potest dare nisi ex licentia, aut commissione eius, qui dare potest. Hinc filij familias, serui, ancilla, vxor, & similes non possunt dare nisi minima, in quibus præsimitur voluntas Domini: aut ex licentia Domini. Ponuntur autem casus à summis in verb. Eleemosyna, in quibus vxor potest dare Eleemosynam, nempe si det, aut in extrema necessitate; aut pro consuetudine patriæ parum panis, vini, aut esculentis: aut in absentia mariti: aut pro salute spirituali, vel temporali eius: aut quando non vtitur ratione: vel si habeat propria bona.

De ordine dandi Eleemosynam.

SICVT ordo in charitate est seruandus; sic etiam in elargitione Eleemosynæ. Sanctiori necessitatem patienti, & ad commune bonū magis vtili, prius subueniendum est: Deinde propinquiore, & eis, quorum cura nobis incumbit. Debet autem Eleemosyna fieri hilari animo, recta intentione, in charitate, iuxta proportionem facultatum dantis, & necessitatem recipientis. iuxta consilium Tobia. Si
S. Thom. 9.
d. art. 9.
Tobia. 4.

S 2 mul-

multum tibi fuerit abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, libenter impertiri stude.

Non sunt tamen indigentes ad hunc effectum iudicandi, qui cum possint laborare, vacent otio, in colligendis Eleemosynis.

De Correctione fraterna.

Vide S.

Thom. 2. 2.

q. 33.

CORRECTIO duplex est, vna iudicialis, quæ superioribus conuenit erga inferiores, & est actus iustitiæ, qua mali puniuntur ad conseruationem publicæ iustitiæ. Alia dicitur fraterna, quæ est actus charitatis, quo spirituali fratris necessitati auxilium fertur, & hæc ad præsens iustitutum pertinet.

De fraterna correctione est præceptum, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, &c. Vt hoc præceptum sub mortali obliget, quatuor conditiones requiruntur. *Prima*, vt constet fratrem in peccato mortali esse, vel veniali periculoso. *Secunda*, vt sit probabilis spes emendationis, ne deterior reddatur. *Tertia*, Opportunitas personæ, & temporis: Personæ, vt non sit alius, qui melius possit facere. *Temporis*, quando discretio dictat consideratis circumstantijs, cum maiori fructu possit fieri. *Quarta*, vt correctio commodè fieri possit absq; notabili damno salutis, honoris, famæ,

*Conditiones
requisite
ad corre-
ctionis ob-
ligationem.*

ma, & fortunarum corrigentis, nisi frater esset in extrema necessitate.

Finis correctionis fraternæ, est emendatio, & lucrum animæ fratris, ut constat ex præcepto: dirigenda ergo correctio prout congruit huic fini. Si animaduertitur, quod obsit, omittere: Si profutura speratur, adimplenda est. Alia ratio est correctionis Superiorū: hæc cum sit actus iustitiæ tendens in bonum Reipublicam sine spe emendationis delinquentis, quandoque infertur. De correctione fraternæ, legendi S. Thom. 2. 2. q. d. Caiet. ibidem. Summistæ in verb. Correctio. Nauarr. in Manuali cap. 24. à num. 12. & in commentario ca. Nouit. de iudicijs. notabili 4. & 5. Dominicus à Soto de ratione tegendi & deteg. secretum. membr. 2.

Quis ordo in corrigendo seruandus?

ORDO est ex Euangelio, ut prius secreto admonetur frater, intellige si peccatum est secretum: si secreta admonitione non corrigitur, adhibendi testes: Quod si nec sic melior redditur, denunciandus est Ecclesiæ, id est, prælato siue superiori: hic ordo omnium iudicio est in præcepto. Matth. 18. & capit. Si peccauerit. 2. quæst. 1. nisi damni periculum sit in mora, & non sit certitudo emendationis ex secreta admonitione. Hinc ut plurimum in criminibus, quæ sunt contra bonum

Matth. 18.

S 3

spiri-

spirituale, vel temporale Reipubl. non seruat-
 tur dictus ordo, sed statim proceditur ad de-
 nunciationem, vt in hæresi, prodicione, con-
 iuratione, maleficarum crimine & similibus:
 Quia periculum est in mora, & rarò corrigun-
 tur huiusmodi admonitione secreta; proin-
 de secundum ordinem charitatis, & rectam
 rationem magis consulendum bono com-
 muni, quam famæ priuatæ personæ. De hoc
 ordine legendi S. Thom. quæst. d. art. 7. Sotus
 loc. cit. quæst. 4. Adrian. in 4. in quæst. de cor-
 rect. & Iosephus Angles resolutoriè in Florib.
 sentent. Theolog. in 2. part. in 4. in quæst. de
 correptione. 4. difficult. & Nauarr. in d. cap.
 Nouit. notab. 5. Ex hoc præcepto elicitur, gra-
 uissimorum doctorum iudicio errare religio-
 sos, qui in visitationibus denunciant fratres
 de crimine correctos Visitatoribus, vel non
 seruato ordine fraternæ charitatis. Diducitur
 etiam praxis pro visitatoribus, vt admoneant
 ante inquisitionem, ne fratres denuncient de
 secretis peccatis correctis: Aliàs dum ad cor-
 rigendos defectus proceditur, charitatis præ-
 ceptum de correctione præscriptum à Chri-
 sto, ab hominibus temerariè infringitur. Mo-
 dus enim in Euāgelio, de ordine correctionis,
 æquè ligat religiosos atque alios Christianos

De Scandalo.

CHARITATI fraternæ scandalum op-
 poni-

ponitur, quia præbet alicui occasionem, vt
 labatur in peccatum. Definitur autem scan-
 dalum dictum, vel factum minus rectum,
 præbens occasionem ruinæ spiritualis. Quod
 Tertullianus dicit alijs verbis; Rei malæ exem-
 plum, ædificans ad delictum. Vt hæc definitio
 intelligatur, notandum scandalum esse du-
 plex. Actiuum & passiuum. Actiuum, quod
 est in operante & inducente alium ad pecca-
 tum. Passiuum est in eo, qui ruit in peccatum
 propter dictum, vel factum alterius minus re-
 ctum. Definitio conuenit scandalo actiuo,
 quod interdum inuenitur sine passiuo, vtpote
 cum aliquis verbo, vel facto alium ad peccan-
 dum inducit, qui propter constantiam non
 cadit: Vnde dicitur quod in perfectos non
 cadit scandalum. Potest etiam aliquando esse
 passiuum sine actiuo, vt quando aliquis per
 accidens, præter intentionem, & conditione
 operis accipit occasionem ruinæ, exempli gra-
 tia, aliquis malæ dispositionis, videt fratrem
 suum foeliciter in virtute proficientem, acci-
 pit occasionem inuidiæ aut temerarij iudicij.
 Quandoque contingit, quod fit simul actiuum
 in vno, & passiuum in altero: Quando scilicet
 ad inductionem vnius, alter peccat.

*Quid scan-
dalum sit.*

*Scandalum
actiuum,
& passi-
uum.*

Speciale scandali peccatum committitur, *Quando*
 quoties aliquis ex intentione vult alterum *scandalum*
 trahere ad peccatum, exempli gratia, aliquis *speciale sit*
 vult se inebriare, vt alium etiam inebriet. Si *peccatum.*
 quis

quis autem præter intentionem, & per accidens ex cupiditate, vel mala consuetudine, alium inducat ad peccandum, non est speciale peccatum, sed circumstantia aggrauans in eadem specie.

Quæ omittenda propter scandalum?

*Scandalū
duplex,
Pharisæo-
rum, &
Infirmorum.*

DVPLEX est scandalum. Phariseorum, quod nascitur ex pura malitia, quale erat quando Pharisei scandalizabantur ex factis, & doctrina Christi: de quibus Christus dicebat. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Propter tale scandalum nihil omittendum est, quia nascitur ex malitia, & prauitate. Aliud vocatur infirmorum & pusillorum, quod nascitur ex ignorantia, & infirmitate: & propter tale scandalum nihil omittendum, quod est de necessitate salutis: Ea verò quæ sunt consilij, differenda sunt, donec de veritate fiat instructio: Si verò post instructionem adhuc aliquis perseveret in scandalo, nihili faciendum est.

CAPVT IV.

*DE EXPOSITIONE PRIMI
præcepti Decalogi, & virtute
Religionis.*

EXODI 20. His verbis describitur. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra

terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, vt adores illud, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlis desuper. Pro intelligentia notandum, priora illa verba vsque ad negationem, parare dispositionem, & attentionem ad præcepta.

Præsens præceptum, est de vero & debito Dei cultu: vnde pertinet ad virtutem religionis, quæ omnium virtutum moralium præstantissima est: Ex quo capite sequitur, quod peccata, quæ contra hoc præceptum committuntur, sunt grauissima inter ea, quæ præceptis moralibus aduersantur, cæteris paribus.

Primum præceptum quamuis negatiuè sit traditum, à contrario tamen sensu est etiam affirmatiuum. Prohibet enim cultum falsorū Deorum, & præcipit honorem vero Deo exhibendum, & proinde in sacris literis etiam sub forma affirmatiua proponitur. Dominum *Matth. 4.* Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Quoniam autem negatio ex affirmatione tanquã notiori melius cognoscitur, prius agendum de Religione.

De Religione.

RELIGIO est virtus, quæ Deo debitum cultum, & honorem in primis exhibet, deinde etiam eius sanctis. De hac virtute S. Thom. 2. 2. q. 81. agit.

Tres species religionis sunt.

Religio has sub se complectitur species. Latrariam, Duliam, & Hyperduliam.

Latraria est cultus, qui debetur Deo tanquam omnium primo principio creationis & gubernationis rerum.

Dulia est cultus, qui debetur seruis Dei, & sanctis beatis, quatenus Dei sunt ministri, eiusque summa coniunctione adhærent, participes diuinæ portionis effecti.

Hyperdulia est cultus maior dulia, & minor latraria; qui exhibetur Beatissimæ virgini, tanquam matri Dei super omnes creaturas exaltatæ. Ex dictis optimè constat, Catholicos minimè idololatriam committere in veneratione sanctorum, quod nobis falsè hæretici imponunt: longè enim inferiorem sanctis impendimus honorem.

Actus religionis sunt duplices. Interiores & exteriores.

Interiores præcipui sunt duo. Deuotio & Oratio.

Deuotionis duplex causa.

Deuotio, est promptitudo voluntatis erga ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Deuotionis duplex est causa. Extrinseca principalis Deus. Intrinseca ex parte nostra meditatio, siue rerum cœlestium contemplatio. Vnde in Psalm. In meditatione mea exarscit ignis.

Oratio, est ascensus, siue eleuatio mentis in Deum, cum petitione decentium ab eo. Extendi-

tenditur etiam ad sanctos : quos inuocamus pro intercessione ad Deum.

Oratio est duplex. Vocalis & mentalis. De oratione legendi s. Thom. 2. 2. q. 83. & omnium excellentissimè Ludouicus de Granato in tractatibus de vtraque oratione.

Oratio vocalis, & mentalis.

Actus exteriores religionis sunt. Adoratio, Sacrificium, & Oblatio ; ad huiusmodi referuntur primitiæ, decimæ, & alia, quæ ad ministrorum Dei sustentationem spectant.

CAPVT V.

DE SUPERSTITIONE, ET alijs speciebus prohibitis primo precepto.

SUPERSTITIO, est vitium, quod inclinatur ad indebitum Dei cultum: vel quia exhibet cultum, cui non debet; vel eo modo, quo non debet. Quatuor sunt species Superstitionis, Idololatria, Diuination, Indebitus Dei cultus, & Vana obseruantia.

Superstitionum species.

De Idololatria.

IDOLOLATRIA est, quando alteri, quam Deo diuinus cultus tribuitur, & est grauissimum peccatum: quia honor diuinus creature impenditur.

De

De Diuinatione.

DIUINATIONO, est rerum occultarum, vel futurarum cognitio: aut prænunciatio quæ via humana sciri non possunt, nisi per virtutem Dæmonis, eiusque auxilium.

Duplex est genus diuinationis. Vnum in quo apertè inuocatur Dæmon, vt dicat occulta: & hoc vel fit per fictas & apparentes figuras, & dicitur præstigium, eo quod oculi hominum perstringantur: vel per somnia, cū homo à Dæmone per somnum responsum expectat: vel per mortuorum aliquorum apparitionem & locutionem: & est Nigromantia: Quamuis enim Dæmon non possit vllam animam reuocare à mortuis, tamen sæpè fingit assumēdo corpus: Quandoque etiam prænunciat futura per viuos, & arreptitios homines, & dicitur diuinationo per Phytones: Quandoque per figuras & signa terrestria, & tunc diuersæ fiunt species secundum diuersam materiam: si in materia terrestri, vtpote vngue, ferro, aut lapide, futura prænunciantur, vocatur Geomantia: Si in aqua, Hydromantia: Si in aëre, Aëremantia. Si in igne, Pyromantia: Si in visceribus animalium, Aurispicium: hæ omnes species ex suo genere sunt peccata mortalia contra primum præceptum.

Alterum genus, in quo inuocatur tacitè Dæmon, quando scilicet aliquis vtitur medijs ad cognitionem rerum, quæ nullam habent

vir.

virtutem iudicandi : & sub hoc genere sunt
multæ species.

Mathesis, quæ ex syderibus natiuitates ho-
minum considerat, & diuinat futura. Astro-
logia, quæ fit per situs, & motus astrorum,
quando huiusmodi cognitio dirigitur, vel ad
cognoscendum mysteria gratiæ, quæ à sola di-
uina potestate pendent, vel ad futura contin-
gentia, quæ hominum libero arbitrio subsunt:
aut quando homo nihil vult facere, nisi astra
& cælum in primis aspiciat. Quando autem
Astrologia versatur circa naturales effectus: vt
eclipsin, pluiuas, & complexiones naturales,
in quas etiam corpora cœlestia influunt, non
est prohibita. Verè enim dicitur, si rectè intel-
ligatur. Astra inclinant, sed non necessitant.
Ad quod accedit illud. Sapiens dominabitur
astris, id est, ratione & sapientia se reget, & non
sequetur carnalem inclinationem.

Augurium, quod fit per garritus auium, &
animalium quorumlibet voces, & membro-
rum saltus.

Auspicium per inspectiones auium con-
tingit. Circa hæc duo aduertendum, quod
aliquando sunt licita, & naturalia respectu
quorundam effectuum naturalium, quando
quis solum ea prædicit, & obseruat, quæ na-
turaliter ex instinctu indito ab auctore natu-
ræ, aues volatu & voce significant, exempli
gratia. Quando vespertiones longè à domi-
bus

bus volitant, significat serenitatem. Quando cornicula frequenter crocitat, pluuiam breui instare denotat; & de similibus simile est iudicium. Sic illud Hieremiæ intelligitur. Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Quando autem diuinatio per auguria extenditur vltra ordinem naturæ, aut diuinæ prouidentia, est superstitiosa, & illicita, exempli gratia. Pica accedit propè ad domum alicuius, & clamat, homines diuinant citò aliquem moriturum, tunc enim nulla est coniunctio naturalis, inter causam & effectū.

Omen quod fit in verbis, & circa eadem, quando quæ verba hominum certa intentione prolata, alia intentione retorquet ad futurum, quod vult præcognoscere.

Chiromantia, quando dispositiones figurarum in corporibus considerantur, vt si quis inspiciat lineamenta manus: Sicut solent facere Cingari, vt Itali vocant, quos nos Gentiles dicimus, qui intuentur lineas manuum, & sic bonam, vel malam fortunam prædicunt.

Spatulantia, quando diuinatio fit in figura spatulæ alicuius animalis.

*Sortilegiū
quomodo
contingat.*

Sortilegium, quod fit per considerationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aquam proiecto, siue ex quibusdam scedulis scriptis, vel nō scriptis, in occulto repositis, dum cōsideratur, quam quis par-

tem

tem accipiat: vel ex festucis inæqualibus, vel
 taxillorum projectione: vel dum considera-
 tur, quid aperienti librum occurrat: quæ om-
 nia sortium nomen habent. Ad pleniorum
 huius rei cognitionem notandum. Quædam
 enim sunt sortes diuinitatis, quæ emittuntur
 ad aliquid occultum, vel futurum sciendum,
 & hæ sunt illicitæ. Quædam diuisoriæ, quæ
 emittuntur ad cognoscendum quid cuique
 eueniat & hæ sunt licitæ, si in eis non lædatur
 iustitia, & in sortibus tantum casus fortuitus
 expectetur. In electionibus tamen Ecclesia-
 sticis neuiquã licitum est vti huiusmodi sor-
 tibus. cap. Ecclesia vestra. de sortileg. & can.
 Non statim, & c. Non exemplo. 26. quæst. 2.
 Quia huiusmodi electiones Spiritus sancti in-
 spiratione fieri debent. Ad illud de electione
 Matthiæ Apostoli respondet D. Hieronymus. in
 d. cap. Non statim debemus sub exemplo Io-
 næ sortibus credere vel illud de actibus Apo-
 stolorum huic testimonio copulare: Vbi for-
 te in Apostolum Matthias eligitur: cum priui-
 legia singulorum non possint legem facere
 communem. Quædam sunt consultoriæ, in
 quibus, si iudicium à Dæmone speretur, sunt
 illicitæ: Si à Deo pro necessitate, cum inuoca-
 tione sui auxiliij, & in rebus salutem con-
 cernentibus, sunt licitæ. Vide S.

Thom. 2. 2. quæst. 95.
 art. 8.

De

De indebito Dei cultu.

INDEBITVS Dei cultus est, quando homo colit Deū modo indebito, & hic est duplex. Falsus, & superfluus. Falsus: vt si quis Deo nunc vellet offerre sacrificia veteris legis: vel falsas reliquias supponat pro veris ad deceptionem aliorum, & huiusmodi sunt peccata mortalia: quia committitur mendacium perniciosum in cultu diuino, cum irreuerentia erga Deum.

Superfluus est cultus, qui perficitur ceremonijs, quæ neque ad Dei gloriam, neque ad hoc, vt mens Deo subijciatur, aut carnis concupiscentiæ refrenentur, ordinantur: aut sunt contra Dei, & Ecclesiæ institutionem: vel contra communem cōsuetudinem, exempli gratia: Si quis velit deuotionis gratia bis dicere Alleluia, quando solum semel dicendum: vel orat ante solis ortum tanquam hoc melius sit: aut mauult audire sacrum sacerdotis qui vocatur Ioannes ex deuotione, &c. Huiusmodi vt plurimum sunt peccata venialia, nisi contemptus accedat.

De vana obseruantia.

VANA obseruantia est, in qua tacitè Demon inuocatur, cum in ea media quædam assumuntur, quæ non habent vllam operandi virtutem in ordine ad tales effectus, qui expectantur: exempli gratia, si quis in pares cuiusdam

dam herbæ consecratæ, vel nō, particulas nō
 tio panno inuoluat, & collo equi appēdat pro
 curatione pedis. Herba enim sic applicata nō
 habet virtutem, vt curet vulnus pedis.

Quatuor præcipuæ sunt species vanæ ob-
 seruantia.

Prima, est ars notoria, quæ certis ieiunijs, &
 orationibus, & varijs obseruationibus, sine
 labore scientiam infusam pollicetur, ex mente
 S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 1. & est peccatum mor-
 tale.

Secunda, est obseruantia sanitatum, cū ho-
 mo ad sanitatem obtinendam, varia & inutilia
 media assumit; exempli gratia, in quibusdam
 benedictionibus adhibentur crines animalium,
 vel mulieres cingulum aut indusium metiun-
 tur, vt iudicium sumatur, quis sanctorum ho-
 norandus pro consequenda sanitate, &c. Hu-
 iusmodi incantationes, ex suo genere sunt
 mortales, nisi imperfectio actus, vel ignorā-
 tia inuincibilis, quæ post instructionem ces-
 sat, excuset. Si autem quis credat tales effectus
 virtute rerum, vel verborum quæ applican-
 tur, effici, nisi ignorantia excusationem ha-
 beat, mortaliter delinquit. 26. quæst. 5. cap. Si
 quis Ariolis. & quæst. 7. cap. Non obseruetis.
 Quando videlicet res, quæ adhibentur ex sua
 natura, & virtute non habent naturalem effi-
 cientiam respectu effectuum: Quod si quan-
 doque effectus sequantur in incantationibus,

T id

id contingit opera Dæmonis, qui ex pacto tacito, vel expresso, per causas naturales concurrunt, ut sibi habeatur fides. Ad hanc speciem pertinet, si quis virtutem ponat in eo, dum herbas colligit, ut id fiat ante solis ortum, vel antequam loquatur, vel die Veneris, vel in sancto Ioannis festo, &c. Huiusmodi enim circumstantiæ, sunt impertinentes ad rationem medicinæ. Quod autem medicus potius colligat herbas in mense Maio, vel Aprili: quam Augusto & hyeme, id non est superstitionis, sed medicinæ: quia ratio naturalis dicitur, quibusdam certis anni temporibus, virtutem in herbis esse potentiorum & efficaciorum.

Tertia Species vanæ obseruantia est futurorum euentuum, quando aliquis obseruat mala futura sibi, vel alijs ex impertinenti: exempli gratia, quando quis credit vnum diem fortunatiorem, & sanctiorem ad ingrediendum iter alio: vel obseruat quo pede prius mane terram tangat: vel quia obuiam in via venit lepus, credit aliquis aliquid mali euenturum, &c. Hæ & similes vanæ obseruationes ventiles sunt, nisi quis instructus pertinaciter eis adhæreat.

Quarta Species, est obseruantia reliquiarum, cum aliquis reliquias secum defert superstitiosa quadam, & vana obseruatione ductus, veluti ut vas, in quo portat sit quadratum, vel trigonum, secundum S. Thom. in 4. d. art.

d. art. 4. ad vltimum. Idem est iudicium si quis ferat reliquias propter finem malum, vel indebitum effectum.

Religiosum autem est ferre reliquias causa deuotionis, ex fiducia erga Deum & sanctos, omiſſis ſuperſtitioſis cæremonijs. Prædictis ſpeciebus Maleficium & Magia adiunguntur.

Maleficium, eſt ars nocendi alijs Dæmonū poteſtate, & eſt duplex. Amatorium & Veneficum. Amatorium, quo vtuntur ad ſectendos animos ad amorem carnalẽ inter aliquas perſonas: vel etiam efficiendum odium. Sic mortaliter peccant, qui addiſcunt artes amatorias vel præbent alicui philtrum, ſiue poculum amatorium, vt rectè Angelus in verbo Interrogatio primi præcepti, ſentit. Dæmon autem nullius hominis voluntatem poteſt cogere ad amandum, ſed ſolum perſuadet mouendo Phantaſma, & hominis imaginationem, qua voluntas alliciatur: deinde faciendõ re amandam apparere amabiliorem: tandem incitando carnem ad inordinatum amorem.

Veneficum eſt, quo nocere ſolent in rebus, deſtruendo vineas, arbores, frumenta, &c. occidendo homines, aut animalia, &c. In omnibus tamen hiſce, & ſimilibus nihil efficere, niſi Deo permittete, poſſunt. De maleficijs latiffimè tractauimus in tract. de confeſſionibus maleficor. & in comment. C. de malefic. & mathemat.

T

a

Du-

Dubium hic esse potest. An liceat maleficium maleficio solvere? exempli gratia: puer alicuius maleficio infectus, grauer laborat, an pater possit accedere maleficum, pro remedio, & dissolutione talis maleficij?

Respondetur. Non esse licitum maleficium maleficio solvere, & qui accedit maleficum, aut incantatorem pro dissolutione, quaerendo ab eo consilium, aut auxilium, mortaliter peccat, patet Leuitici 19. Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, & iterum. Anima quæ declinauerit ad magos &c. Interficiã eam, &c. Ratio etiã in promptu est: Quia maleficium est per se malum. Nemo autẽ potest ab alio petere, vt hoc faciat, quod per se peccatum est. Nec etiam licitum est petere dissolutionem, quando maleficus est paratus, vt communis sententia tradit, quamuis Angelus in verb. Superstitio. §. 13. contrarium doceat. Licitum autem est solvere maleficiũ, per remotionem signorum, quæ quandoque a maleficis in aliquo loco reponuntur: aut per media ordinata: vt exorcismos, orationem, ieiunia, eleemosynas, & Ecclesiastica exercitia, de quibus in cap. Si per Sortiarias. 33. q. 1.

Magia, est potestas inordinata faciendi talia, quæ supra naturam videntur, ad ostentationem, arte Dæmonis. Dicitur (quæ supra naturam videntur) quia tales effectus homini supra naturam videntur, tamen simpliciter
 non

non excedunt metas naturæ: Cum nec etiam Dæmon miracula efficere queat, sed tantum mirabilia; quæ imperitis, qui naturalium rerû cognitionem non habent, ordinem naturæ excedere videntur: Solus enim Deus vera miracula operatur, & sancti quando faciunt, divina virtute efficiunt. Ad superstitionem etiã spectat, Dæmonem adiurare per modum deprecationis, siue obsecrationis, quando fit vt aliquis aliquid ab eo discat, aut obtineat: Quia hoc pertinet ad quandam benevolentiam, & amicitiam, quam non licet habere cum Dæmone. De superstitionibus legendi s. Thom. loc. citat. Nauarr. in Manuali. capit. ii. à num. 24. Martinus Arles in tractat. de superstitionibus, & Summistæ in verb. Superstitio. Quoniam autem materia superstitionum ampla est, subiiciuntur aliquæ regulæ pro cognitione earundem.

Prima Regula. Quoties aliquis effectus rei tribuitur, qui non conuenit ei secundum suam naturam inditam, si per Ecclesiæ definitionem, vel consuetudinem, non constet fieri à Deo: vt accidit in sacramentis, & sacramentalibus, habendû erit tâquam superstitiosum.

Secunda. Si effectus naturalis tribuitur alicui rei, quam constat habere ex sua natura, non est superstitio: At si tribuitur alicui ex rebus, vt verbis, vel signis, vel characteribus: aut si postuletur fides, superstitiosa sunt.

T 3

Ter-

Tertia. Si res naturales, aut artificiales, adhibeantur ad supernaturales effectus producendos, vel ad liberos voluntatis actus, vel ad intellectus spirituales: aut res futuras contingentes cognoscendas: vel ad diuinandum: aut spirituales effectus efficiendos in nobis, vel alijs, est superstitio iudicanda, nisi fiat modo in prima regula posito.

Quarta. Quoties quis vtitur verbis sacris in rebus vanis, neque ad diuinum cultum pertinentibus, est superstitio.

Quinta. Quando opus fit, quod pertinet ad aliquam abstinenciam corporalem, vel ad corporis exercitium: Videndum an refrenet carnalis concupiscentiæ motus, modo virtuti debito secundum Ecclesiæ ritum, & moralem doctrinam.

De Tentatione.

TENTATIO Dei, est contra primū præceptum. Quia qui alterum tentat id facit, quia incertus est de ipsius excellentia: de Dei autem excellentia nemini dubitare licet: hoc enim pertinet ad Dei irreuerentiam, & tendit in diminutionem diuini honoris. Tentatio autem Dei in hoc consistit, secundum S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 5. quando homo prætermittit facere, quod potest ad euitanda pericula, solum respiciens ad auxilium diuinum, exempli gratia, aliquis incidit in latrones, pos-

set fuga sibi consulere, sed vult se defendere, ut experiatur diuinum auxilium. Aliquando tacite & interpretatiuè quis tentat Deum, quando non habet intentionem Deum explorandi, facit tamen aliquid, quod ex se tendit in hoc, ut Deus probetur: & hoc modo intelligitur illud Eccles. 18. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum.

Mortaliter peccant tentatione Dei, qui subeunt vel alium cogunt subire probationem feruentis aquæ, ferri candentis, vel aquæ frigidæ, pro purgatione criminis: cap. fin. de purgat. vulgari. & 2. quæst. 5. cap. Consulisti. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad. 3. & qui temere se offerunt martyrio, infideles irritando, sine utilitate & necessitate. Eodem modo peccant, qui sine causa obijciunt se probabili periculo mortis, aut mutilationis: ut si ægrotus respuat humanum remediū, quo liberari potest, & quod facile habere licet, & se soli diuinæ providentiæ committat. Postremò non solum peccant contra hoc præceptum, qui opere committunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Non solum, ait Apostolus, qui faciunt, sed & qui consentiunt faciētibus, digni sunt morte.

Consensus autem fit nouem modis, his verbis compræhensis.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

T 4 Par-

Qui peccant peccato tentationis.

Participans, mutus, non obflans, nō manifellans.
De his plenius infra in materia de reflitu-
tione patebit.

CAPVT VI.

DE SECVNDO praecepto.

*Non assumes nomen Dei tui in vanum & de
Iuramento.*

ADVERTENDVM per nomen Dei intel-
ligi omne nomen, per quod rationali me-
ti Deus innotescit, sicuti sunt Creator, Gu-
bernator, Omnipotens, Redemptor, Salua-
tor, Ipsa veritas, &c. Quia nominibus Dei de-
betur reuerentia ex parte rei significatae, quae
est vna, & non ratione vocum significantium,
quae sunt multae.

Deinde vana vsurpatio diuini numinis at-
tenditur: aut secundum seipsum, quando nō
est verum quod iuramento asseritur, sed fal-
sum: & hoc est propriè periurium: aut ex parte
iurantis, quando quis iurat verum ex leuitate
animi, sine necessitate, & vtilitate; hoc pra-
cepto prohibetur vanitas tam ex parte falsita-
tis, quam iurantis.

Sensus huius praeccepti est, nomen Dei in
hono-

honore esse habendum, ac sanctè per illud esse iurandum: & à contrario cauendum, ne cū irreuerentia nomen Dei tractetur, & in vanū usurpetur: quod his modis plerumque fieri solet. Cum quis per nomen Dei malè & irreuerenter iurat: vel benè vel reuerenter iurat, sed quod iurauit, malè implet: Vel malè vouet, vel id quod benè vouit malè exequitur; vel qui Deum, eiusque sanctos blasphemijs petit. De iuramento, & voto hic agendum. De blasphemia supra actum est.

De Iuramento.

IURAMENTVM, est assertio rei sacræ vel humanæ, attestatione firmata. Iurare autem est Deum in testem vocare.

Iuramentum introductum est, in confirmationem veritatis ex defectu humanæ probationis, vt sine litibus imposto, homines in pace, & tranquillitate viuant.

Quis finis iuramenti.

Formæ iuramenti diuersæ fuerunt pro diuersitate temporum, vt notat Glossa in 2. 2. quæst. 1. in summa. In veteri lege sic iurabant. Viuit Dominus, Viuit anima mea. Hoc addat mihi Dominus. In primitiua Ecclesia, Testis est mihi Deus; Testis est mihi conscientia: Deum inuoco in testem. Veritatè dico in Christo Iesu, non mentior. Nunc iuratur per Deum: Sic me Deus adiuuet. Item per Euangelia, per crucem, ordinem sacrum, sanctos, animam

Formæ iurandi diuersæ.

T 5 meam,

meam, &c. Quando formæ iuramenti sunt dubiæ, standum est consuetudini, & intentioni loquentis. Ad iuramentum imprecatorium pertinet, si quis dicat, Dæmon me rapiat, aut mihi malè vertat; aut Deus me non iuuet, &c. si hoc feci, aut fecero. De varijs iuramenti formis, & earum sensu, vide Dominicum Sotum libr. 8. de iustitia & iure, quæst. 1. artic. 1. Per creaturas quando iuramus, id intelligendum, quatenus in eis diuinæ maiestatis splendor, ac veritas residet.

Iuramentum aliud assertoriū, aliud promissorium.

Iuramentum est duplex. Assertorium, quando testimonium adducitur ad asserendū præterita, vel præsentia: & promissorium, quando quis promittit futura cum confirmatione iuramenti, exempli gratia, per animam meam tali die tibi debitum soluam. Est etiam quoddam iuramentum per execrationem, quod solet dici imprecatorium: vt si statuto die mutuatam pecuniam non soluero, auferat mihi Deus animam meam, &c. & hoc contingere solet, quando aliquis se, aut ad se pertinens obligat ad pœnam: & in talibus casibus, si non seruatur iuramentum, graue periurij peccatum committitur.

Comites iuramenti.

Omne iuramentum, vt sit licitum & actus virtutis, tres requirit comites: Veritatem, Iudicium, & Iustitiam, Hierem. 4. cap. Iurabis, viuit Dominus in veritate, iudicio, & iustitia, & in cap. Etsi Christus, de iureiurando. Si iuramen-

ramentum caret veritate, dicitur periurium: Si iudicio, incautum: Si iustitia, iniquum. Sub iudicio includantur aliæ conditiones, ex parte modi iurandi, reuerentia, & ex parte causæ, necessitas & vtilitas.

De Veritate Iuramenti.

QVANDO iuramento deest veritas, per- *S. Thom. 2.*
iurium committitur, quod nihil aliud est *2. quæst. 98.*
quam mendacium iuramento firmatum: & *Quid sit*
est peccatum mortale ex suo genere, quia præ- *periurium.*
cepto diuino aduersatur. Ex imperfectione
tamen actus, vtpote si quis ex lapsu linguæ, pe-
ieret, venialis tantum culpa committitur. Cir-
ca iuramentum, cui deest veritas, notanda se-
quens regula generalis.

Omnis homo qui annos discretionis atti-
git, si falsum iurat, sciens & aduertens se falsum
iurare, q̄ aliqui vocant aduertere de dicto &
iuramento, mortaliter peccat siue faciat ob
vtilitatem suam, siue alienam, siue ex leuitate,
lapsu linguæ, ioco, coactione, metu, consue-
tudine, ira, perturbatione, aut alio modo, sub
quacunque forma verborum, *S. Bonauent. in*
3. d. 39. quæst. 3. S. Thom. 2. 2. quæst. 98. artic. 3.
ad 2. Nauarr. in Manuali. cap. 12. num. 6. Caie-
tan. & Aurea Armilla in verb. Periurium & alij
alibi. Nisi ira, aut perturbatio tanta esset, quæ
iudiciû rationis auferret, aut alias imperfectio
actus à mortali excusaret,

Mor-

Mortaliter etiam delinquit, qui ex ignorantia crassa, & supina iurat falsum credens esse verum. Angelus, Syluest. & alij in verb. Per iurium. Nauarr. loc. cit. num. 7.

Eodem modo peccat, qui non iurat adiuranti, siue imponenti iuramentum secundum suam intentionem, sed propriam mentem, quando iuramentum imponitur à iudice, aut habenti potestatem, modo legitimo & debito, & sic intelligitur illud. 2. 2. quæst. 5. capit. Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamē, qui conscientia testis est, ita accipit, sicut cui iuratur, intelligit. Nauarr. loc. cit. numer. 8. & in commētario cap. Humanæ aures. 2. 2. quæst. 5. numer. 2. quæst. 2. in quo, super casu simili disputat de veritate responsi partim verbo expressi, partim mente concepti: Si autem iuramentum extorqueatur per metum, vel importunitatem ab eo, ad quem non spectat, vel etiam à iudice non seruato ordine iuris, potest iurans secundum propriam mentem verum iurare, & falsum secundum intentionem iuramentum exigentis, exempli gratia. Si quis aliquid secreti ab aliquo quærat quod non debet, & exigat iuramentum de scientia, quamuis sciat, potest iurare se nescire, intelligendo in mente, vt tibi teneat reuelare. Eadem est ratio, petit aliquis ab alio rem dono, vel commodato, quam non vult dare, vel accommodare, potest iurare quod non habeat, intelligendo

gendo in mente, non habeo, vt tibi donem, aut accomodem, &c. De hac materia legendi, Nauarr. loc. cit. Sotus lib. 8. de iustitia & iure. quæst. 1. art. 7. Caiet. 22. quæst. 89. art. 7.

Exigit etiam veritas iuramenti secundum Hieron. ad Damasum, vt de ore Christiano non sonet Iupiter, & me Hercule, & me Castor, & cætera magis portenta, quam numina, prohibitum hoc enim in Exodo est. Per nomen externorum Deorum non iurabitis, nec audietur ex ore vestro. *Exod. 23.*

De iuramenti promissorij obligatione.

IURAMENTUM promissorium est, quando præstatur de aliquo futuro faciêdo, sicut assertorium de præterito, vel præsentis. In hoc iuramento semper intelliguntur etiam si non exprimantur, aliquæ conditiones generales, iuxta Glossam à Doctoribus receptam in cap. Illud autem. de iureiuran. exempli gratia. Si superiori placuerit: Si diuina voluntas non aliter disposuerit: Si res in eodem statu permanerit: Si res sit honesta, &c. De quibus vide Angelum in verb. Iuramentum 5. qui adfert. 26. casus, in quibus iuramenti promissorij obligatio cessat. Speciales autem conditiones exprimendæ sunt. Conditionale autem iuramentum ligat, nisi conditio accedat, exempli gratia. Iuro alicui, quod ei donabo vineam, si diligentiam impendat in promotione sanita-

*Quomodo
conditio-
nale iura-
mentum
liget.*

sanitatis vxoris egrotæ: Si diligentia non præstet, non teneor dare vineam. Omne etiam iuramentum promissorium obligat sub mortali culpa, quando requisita adsunt.

Dubium quotidianum. An iuramentum promissorium de re minima, obliget sub mortali exempli gratia, si quis iuret, quod alicui dabit pomum: vel salutabit amicum: vel duo honore se inuicem præuenientes, iurant singulise non præcessuros in exitu domus. Aut mater iurat verberare filiam: An non implens talia iuramenta mortaliter peccet?

Caietan. 2. 2. q. 89. artic. 7. tenet affirmantem partem, quem sequuntur Aurea Armilla in verb. Iuramentum. §. 12. & Didac. Co-uarr. lib. 1. variarum resolutionum. capit. 1. num. 2: Negantem partem tradunt S. Antonin. 2. part. tit. 10. capit. 4. Sotus de iustit. & iure. lib. 7. q. 2. artic. 1. & libr. 8. q. 1. artic. 7. Syluester in verb. Iuramentum. 4. quæst. 1. Angelus ibidem. iuramentum 5. §. 4. Nauar. in Manua-li loc. d. num. 10. & hæc sententia communiter tenetur; quia vt sæpius repetitur, paruitas rei in omni materia à mortali excusat.

De Iudicio.

EX parte iurantis requiritur iudicium, scilicet discretionis, vt iuramentum non temerè & inconsideratè, sed discretè & consultò, rei necessitate postulante fiat, & ex hoc capi-

capite in primis peccant, qui irreuerenter iurant per creaturas, nullo habito respectu in ordine ad diuinam veritatem in creatura resplendentem. Deinde qui iurant sine vlla deliberatione ex leuitate, vel cōsuetudine, communiter venialiter peccant. Eradicandus tamen est talis abusus frequentandi iuramenta, siue per Deum, siue per animam, siue per aliā quamcunque creaturam, propter periculum periurij: Scriptum est enim. Vir multum iurans implebitur iniquitate. Ex defectu iudicij non ligat iusiurandum puerorum ante usum rationis, amentium, & eorum, quorum iudicium rationis ita passione absorbetur, vt plenè non deliberare valeant.

Dubium. An iuramentum coactum obliget?

Respondetur. Si quis iuret coactus metu, & timore, vel minis, iuramentum tenet, cap. Si vero, & cap. Verum, de iureiurando. & est communis sententia, & tenetur iurans solvere, si quid promisit. Potest tamen solutum auctoritate superioris repetere, vel ante solutionem obtinere dispensationem à tali iuramento, iuxta S. Thom. 2. 2. quæst. 89. artic. 7. ad 3. receptum.

Peccant etiam ex defectu iudicij, qui iurant sine vtilitate, & necessitate: communiter tamen non est nisi veniale, licet periculosum, etiam si veritas & iustitia adsint. Iuramentum autem est præstandum pro pace seruanda, pro
fama

fama purganda, pro fide Catholica seruanda, pro fidelitate, pro cautione damni non faciendi, pro defectu veri, id est, ut veritas non occultetur, ex Gloss. 22. quæst. 1. in summa. Incauta sunt etiã iuramenta de re impossibili, & tunc licet iurans peccet, nulla tamen nascitur obligatio: quia nemo obligatur ad impossibile: Si autẽ iuramentũ sit de re difficili, quæ iuranti pro parte est possibilis, & pro parte impossibilis: tenetur iuramentum implere prout potest, secundum doctrinam S. Thom. in corpore d. artic.

De Iustitia?

IUSTITIA iuramenti postulat, ut sit de re iusta, licita, & honesta. Atque ut casus clarius resolui possint, aliquibus punctis latius aliqua declaranda sunt.

Primum. Si quis iuret aliquid quod est peccatum, & iniquum, mortaliter peccat, si obiectum iuramenti sit mortale; & si iuramentum impleat, scelus scelere accumulatur, 22. q. 4. cap. Qui sacramento, & cap. Non est obseruandũ S. Thom. loc. d. ad 2.

Secundum. Iuramenta, quæ sunt contra bonum publicum, aut vergunt in dispendium propriæ salutis corporalis, vel spiritualis, vel etiam alienæ, non obligant, 22. q. 4. capit. 1. & sequen. & 23. q. 5. ca. Si non licet. Ex hoc fundamento infero rectè tenere Panorm. in cap. Si

Si verò, de iureiurando. Bald. in Rubr. de vi-
ta & honest. cleric. & alios quos citat & sequi-
tur Couarr. lib. 1. var. resol. cap. 2. iniuste cap-
tum, & è carcere dimissum præstito iuramen-
to de redeundo, si mortis periculum instet, nõ
obligatum esse vi iuramenti ad redeundum,
contra aliquorum Doctorum auctoritatem.
Alia tamen ratio est, si quis iuste in carcere de-
tineatur.

Tertium. Qui iurat se non facturum aliquid,
quod est melius bonum & de consilio, peccat
quidem iurando: quia ponit obicem Spiritui
sancto, qui boni propositi inspirator est, iura-
mentum tamen nõ obligat, sed potest infrin-
gi iuratis propria voluntate: & hoc factu me-
lius est. S. Thom. loc. cit. Vide Nauarr. in Ma-
nuali confess. cap. 12. num. 16.

Quartum. Qui iurat aliquid licitum in prin-
cipio, quod tamẽ ex aliquo euentu & circum-
stantia consequente, redditur illicitum, non
debet seruare in illo casu iuramentum: Sic He-
rodis iuramentum factum puellæ saltanti, po-
terat esse licitum in principio, subaudita con-
ditione, si honestum quid peteret. At quando
petebat caput Ioannis Baptistæ, reddebatur
illicitum, & erat rescindendum.

De dispensatione in iuramento.

IN primis quando iuramentum factum est
in vtilitatem alicuius, is in cuius gratiam fa-
ctum

Etum est, potest relaxare: Si verò iuramentum præstitum homini, sed non in vtilitatem hominis, sed in honorem Dei homo non potest tollere obligationem.

Quando dubium, an iuramentum licitum, vel illicitum, Episcopus potest dispensare. Si autem iuramentum licitum sit, & causa iusta subsit, Pontifex potest dispensare, imò etiam Episcopus in suo Episcopatu, secundum Innocent. in c. Debitores, de iureiur. & Panorm. in cap. Contingit, ibidem.

Præterea quilibet superior, potest irritare iuramenta suorum subditorum, si facta sunt circa ea, quæ suæ potestati subsunt. Sic Pater potest irritare iuramentum filij, vir vxoris, Abbas suorum monachorum &c. Vide S. Thom. loc. cit. art. 9.

CAPVT VII.

DE VOTO.

VOTVM est promissio Deo facta, cum deliberatione de meliori bono, siue de his, quæ sunt Dei, ex Magistro in 4. dist. 34. Hanc definitionem explicat S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. De essentia voti tria sunt. Deliberatio, propositum voluntatis de vouendo, & promissio.

*Tria ad substantiam
voti requiruntur.*

Circa voti essentiam animaduertendum.

non

non sufficere ad votum propositum, siue desiderium vouendi, prout multi canonum interpretes sentire videntur in cap. Consulti. de regularibus: In qua re etiam indocti falluntur: quia aliud est propositum, aliud actualis promissio. Promissio obligationē inducit. Quod si autem aliquis ore tenus tantum promitteret, siue voueret, sine animo se obligandi, mortaliter peccaret, non tamen obligaretur ad implendum in conscientia. Quamuis Ecclesia quæ non iudicat de occultis possit ad voti obseruantiam compellere: nec teneatur contrarium asserenti fidem adhibere, sed potius ex proprio ore condemnare, si scandalum ex fractione voti timeatur.

Quando etiam deliberatio in voto exigitur, tanta intelligitur, quanta ad mortaliter peccandum sufficit, quia vt Glossa recepta, 32. q. 2. cap. Mulier, ait. Iudicium quod sufficit ad obligandum Diabolo, sufficit etiã ad obligandum Deo. Hinc votum cū actuali deliberatione, quæ plena, aut semiplena nominatur, vouentē obligat. cap. Sicut nobis 2. de regul. vbi ad executionem voti tenetur, qui maxima laborans ægitudine, mortis timore vouerat, & in cap. Veniens de voto, commutatur votum quadam facilitate in puerili ætate, sine plena deliberatione emissum.

In definitione voti, quando dicitur (de meliori bono, siue de his quæ sunt Dei) materia

*Quanta deli-
beratio ad
vouendum
necessaria.*

teria voti explicatur; ex hac particula elicitur, non valere vota facta de rebus illicitis, iniustis, vanis, indifferentibus, & impossibilibus, & qui similia vota faciunt, mortaliter peccat, quamuis nulla obligatio nascatur, quia notabilem irreuerentiam Deo faciunt. Si autem aliquis ea voueat, quæ sunt de necessitate salutis votum valet, & obligat, & si transgrediatur duplex peccatum committit, exempli gratia, si quis foueat non fornicari, fornicatio incurrit peccatum fornicationis, & fractionis voti: Vnde Monachus, qui fornicatur, aut furatur, duplicis peccati mortalis reus fit, & in tali casu, circumstantia voti necessariò in confessione est aperienda.

Quoniam autem ignorantibus, exemplis res clarior redditur: Ponendi sunt aliqui casus votorum, in quibus nulla obligatio nascitur.

Primus, si quis voueret homicidium, aut fornicationem cum aliqua virgine. Ad hunc ordinem etiam referre possumus, si quis voueat aliquid propter malum finem, vt voueret Eleemosynam certam, ad consequendum iniustam vindictam.

Secundus, de rebus vanis, vt si quis voueret non pectere crines in die Sabathi, vel non lauare caput, aut non abscindere unguis die veneris: aut in honorem S. Ioannis Baptistæ non comedere capita animalium: hæc enim & similia vota de rebus vanis & inutilibus, sunt magis

magis deridenda, quàm seruanda, secundum S. Thom. in art. 3. ad 3. quæst. 88. 2. 2.

Tertius, de rebus indifferentibus, vt si quis faciat votum de non cundo per aliquam viam, aut plateam, aut non filare in die Sabathi, & interim non abstineret ab alijs seruilibus. Si tamen huiusmodi votis aliqua conditio, aut circumstantia bona accedat, fiunt valida: vt si quis voueret non ire per aliquam plateam, quia in transitu esset aliqua persona, quæ causam peccati præberet, aut non vellet filare Sabatho, vt aliqua certa hora posset vacare orationi, quia in talibus casibus, circumstantia finis faceret votum validum, & actum virtutis.

Quartus, de rebus impossibilibus & necessarijs: vt si quis votum de non faciendo vllum peccatum veniale emitteret, vel de nunquam comedendo, vel de non moriendo. In dictis casibus vouens vouendo peccat, & vota sunt nullius roboris. His possumus addere, quando aliquis vouet contra consilia Euangelica, quæ propriè cadunt sub votum, aut aliquid, quod maiori bono est impedimento.

Quomodo diuiditur votum propriè dictum?

In primis in Absolutum, & Conditionatū. Absolutum, vt voueo ingredi religionem. Conditionatum, vt infirmus vouet visitare B. Virginem apud martyres singulis mensibus in anno, si sanitatem recuperet.

Votum diuiditur in

Absolutū, & Conditionatum.

Et in simplex ac so-

lemne.

V 3

Deinde diuiditur in Simplex & solemne. Simplex votum emissum siue publicè, siue secreto, sine solemnitate consueta Ecclesiæ. Solemne quod celebratur per professionem religionis approbatæ, aut per susceptionem sacerdotum ordinum: & est differentia inter solemne & simplex, quod prius impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit etiã contractum: At secundum scilicet simplex, solum impedit contrahendum.

An omne votum obliget?

SECUNDVM fidem Catholicam votum obligat ad sui obseruantiam: Psalm. 75. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Eccles. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. & Deuter. 23. Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis. Item patet in iure canonico in titulo de voto & voti redẽptione. Et si enim vouere sit consilij, promissum tamen reddere, est præcepti. cap. Magnæ deuotionis. de voto. Hinc fractio voti, ex suo genere est peccatum mortale, nisi paruitas rei excuset: Vnde uens dicere vnum versiculum Psalterij, aut vnum Ave Maria, si omittat, solum venialiter peccat, quamuis Caietan. & alij quidam contrarium sentiant, vt etiam supra de iuramento dictum est. Cauenda autem semper facilitas in vouendo, & adhibenda diligentia in adimplendis eis, quæ voto sancita sunt.

Qno

Quo tempore obligatio voti currit, id est, quando homo tenetur adimplere votum?

OBLIGATIO voti pendet ex propria voluntate, & intentione: Si intentio vouentis fuit, statim se obligare, tenetur statim adimplere: Si autem intentio feratur in certum tempus, & sub certa conditione, standum est in tempore & conditione: Si vero votum est indeterminatum, & non est præfixus terminus adimplendi, obligat pro prima commoditate, vt colligitur ex Glossa in capit. Non est. de voto. & S. Thom. communiter recepto 2. 2. quæst. 88. artic. 3. ad 3. & probatur Deuteronom. 23. Cum votum voueris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si autem aliquis differat votum adimplere, & culpa sua fiat impotens ad soluendum, si præsertim animaduertat ex protractione se fieri impotentem, mortaliter agit, Angel. verb. votum 3. §. 2. & Nauarr. in Manuali cap. 12. num. 41. & alij alibi.

Vota conditionata, obligant conditione adimpleta, secundum communem Doctorum sententiam: vt qui fecit votum in infirmitate, si liberetur, recuperata sanitate debet adimplere: Si autem aliquis sua culpa impediat, quominus conditio eueniat, non est liber ab obligatione.

Conditionata vota quomodo obligent.

Quando autem aliquis vouit aliquid facere

V 4

cere

cere certo tempore, si termino præfixo non adimpleuit, si in vouendo non respexit principaliter tempus, sed substantiam actus, tempore transacto tenetur adhuc adimplere votum: Quia qui debitum creditori non soluit statuto tempore, manet debitor, donec soluat. Panormitan. in cap. Per tuas de voto. Angelus in verb. votum. 3. §. 3. Caietan. in verb. voti dispensatio. Nauarr. loc. cit. numer. 54. Si votum vero respiciat tempus, vt onus, tunc qui non soluit suo tempore peccat, & cessat obligatio, quia voti executio iam facta est impossibilis. Sicut qui ex præcepto in vigilia S. Laurentij debet ieiunare, si neglexit facere, non tenetur altera Laurentij ieiunare.

Si autem aliquis in genere vouit non respiciendo ad dicta, tunc secundum primum interpretandum votum, quia in dubijs communior sensus amplectendus est.

*An quis pro alio teneatur implere votum
in aliquo casu?*

Vota realia, & personalia.

DVPLICIA sunt vota. Realia quæ spectant ad rem familiarem eius, qui vouit, vtpote aliquis de suis bonis vouet ædificare templum: aut instituere Eleemosynam, &c. Et Personalia, quæ personam vouentis concernunt: vt ieiunare certis diebus: vel votum continentia, &c.

Pro resolutione. Nemo tenetur alterius votum

votum personale adimplere, nisi consentiat se obligare. Reale autem, filius, siue hæres sub peccato mortali tenetur adimplere eius, in cuius hæreditatem succedit, cap. Licet. de voto. Panormitan. & Doctores ibidem: & si filius aut hæres negligit, potest compelli per priuationem hæreditatis, vt vult Innocent. aut per excommunicationem, vt alij sentiunt. Si autẽ votum partim sit personale, partim reale, hæres tantum tenetur ad id, quod est reale, exempli gratia, Pater vouit visitare B. Virginem in Clusa Euerardi, & offerre sex libras ceræ, hæres tantum tenetur ad solutionem ceræ, & nõ peregrinationis. Tenetur autem quis votum per alium adimplere, quando tacitè vel expressè extenditur ad alios: Aut quando aliquid vouit quod non potest per se ipsum implere, si hoc animaduertit, quando votum emisit, S. Antonin. 2. part. tit. II. c. 2. Panorm. & Innocent. in d. cap. Licet. & in cap. Scripturæ. Angel. in verb. votum. 3. §. 7. & alij alibi.

In quibus casibus cessat obligatio voti?

PRIMVS, si materia voti reddatur impossibilis, ex. gr. aliquis fecit votum de ieiunando die Veneris, & Mercurij in pane & aqua, incidit in infirmitatem, stante infirmitate potest comedere. Hic tractari posset. An Carthusianus non obstante voto, possit, aut teneatur, in aliquo casu comedere carnes? de

V 5 qua

qua difficultate legendi Ioan. Gerson in tract. de abstinen. Ioan. Maior in 4. d. 38. q. 4. Victoria in Relect. de Temperantia. Non autem impeditur voti obligatio difficultate, licet hoc sit causa facilius dispensandi, vt docet Panorm. in cap. Non est de voto.

Secundus casus, quando votum fit illicitum ex aliquo accidenti, exempli gratia, aliquis fecit simplex castitatis votum, postea cōtrahit matrimonium, & consummat, non potest totam castitatem seruare: quia tenetur vxori debitū reddere, tenetur tamen quantum est à sua parte facere, id est, nunquam debitum petere, nisi legitima accedat dispensatio.

Tertius, quando seruare votum est impedimentum maioris boni, exempli gratia: aliquis vouit visitare limina Apostolorum, Si voueat religionem, & ingrediatur, cessat prius votum.

Quartus, quando materia voti fit indifferens, ex. gr. vt supra dictum est, aliquis fecit votum de non eundo per aliquam plateam, quia tentabatur à muliere ibi habitante, moritur talis mulier, potest ire per talem plateam.

Quintus, quando legitima & iusta interueniente causa, dispensatio impetratur, tunc etiam obligatio desinit.

GAPVT VIII.

DE VOTO RELIGIONIS

VOTUM religionis est omnium præstantissimum, & omnia vota per voti religionis emissionem, & susceptionem sine vlla dispensatione tolluntur, si cum tali voto commodè non possunt seruari.

Hoc votum secundum Catholicam fidem includit paupertatem, castitatem, & obedientiam; de consensu totius Ecclesiæ. & cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum. Horum votorum congruentes rationes ponit S. Thom. 2. 2. q. 186.

Votum religionis includit paupertatem, castitatē, & obedientiam.

Quando quis potest emitte votum Religionis?

QUILIBET potest facere votum simplex religionis, qui excessit annos pubertatis, Excedunt autem hos, pueri circa annum 14. Puellæ verò circa 12. Si quis autem ante annos pubertatis voueat, & ingrediatur religionem, cum adhuc in patria potestate sit parentes possunt ipsum retrahere. cap. Cum similis. cap. Ad nostram. & cap. Significatum, de regulari. Votum autem solemne nunc in nulla religione tam virorum quam mulierum potest fieri ante annum 16, completum, ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de regularibus, & si antea fiat, nullam obligationem inducit.

An

*An satisfaciat voto de ingrediendo, qui ingreditur
& deinde iterum egreditur?*

DIVERSA in hac materia sunt. Vouere religionis ingressum, professionem facere, & simpliciter vouere religionis ingressum. Nunc cum obligatio voti pendeat ex voluntate vouentis, considerandum qualiter vouens intendat se obligare. Qui vouet ingredi religionem cum intentione perseverandi ad dies vitæ, non satisfacit ingrediendo, si egrediatur. Quia voti obligatio latius se extendit: Si autem quis simpliciter voueat ingredi religionem ad probandum vires suas, an possit manere, vel non: de iure communi, si bona fide, sine dolo egrediatur, satisfacit voto, etiam si postea egrediatur, c. Ad Apostolicam, de reg. & lib. 6. eod. tit. cap. Non solum. Tandem qui vouet ingredi religionem non cogitando de libertate exeundi, & stabilitate permanendi, satisfacit ingrediendo, etiam si egrediatur: Quia talis intelligitur vouisse secundum formam iuris communis, quæ est, vt ingrediens annus probationis concedatur.

*Quid si quis vouit ingredi religionem, & non
suscipitur?*

AUT vouit in genere, aut in specie. Qui vouit religionem in genere, si non recipiatur in vna, tenetur instare in alia, et si non suscipitur in vno monasterio, debet adire aliud: & si

& si in proximis locis excludatur, adeat remotiores partes. Non tamen tenetur per totum mundum discurrere, iuxta Angelum verb. votum. 3. §. 10. Nec etiam talis, si in Germania voueat, tenetur ire in Hispaniam, aut Italiam, nisi talem intentionem habuisset, prout tradit Caietan. 2. 2. quæst. 88. artic. 3. Si autem nulla esset religio, quæ eum vellet recipere, posset in seculo manere; & vxorē ducere, iuxta eundem quæst. 188. artic. 3. 2. 2. & Angelum loco citat. §. II. Qui verò vouet in specie ingredi religionem S. Benedicti, vel hoc monasterium S. Maximini, aut S. Matthiæ propter singularem rationem, qua mouetur erga illam religionem; vel hoc monasterium; non tenetur aliam, vel aliud intrare, si illi ipsum recipere nolint, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 3. ad 2. Si autem aliquis vouit ingredi in religionem de strictioribus, & postea ingreditur laxiorem, ibique professionem facit, peccat, & tenetur agere pœnitentiam, tenet tamen professio, votoque satisfecit, & non obligatur amplius ad strictiorem, cap. Qui post votum, de regularibus lib. 6. & DD. ibidem.

An professus in vna religione possit transire aliam?

Si subit legitima causa, à superiori approbata, transitus potest fieri ad strictiorem religionem. Causæ autem sunt, zelus perfectioris

ctioris religionis, & desiderium strictioris vita. Propter infirmitatem, & debilitatem, dispensatione interueniente, potest aliquis transire ad laxiorem, vt sentit S. Thom. 2. 2. q. 189. artic. 8.

De votis monasticis in specie.

DE hac materia tradunt S. Thom. 2. 2. q. 186. S. Antoninus 3. part. tit. 16. capit. 7. Turrecremata in commentarijs in regulam S. Benedicti. Syluester in verb. Religio. 6. q. 7. Martinus Nauar. in quatuor distinctis commentarijs de regularibus. Doctores canonum in titul. de regularibus, & de statu monachorum.

Tria sunt vota substantialia Religionis secundum fidem Catholicam, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, de quibus breuiter dicendum.

De Paupertate.

AD perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, per quam quis affectum suum abstrahit à rebus huius mundi, vt rectius diuinorum rerum contéplationi vacare valeat. Hinc *Matth. 19.* illud Euangelicum. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.

Paupertas in præfenti, significat carentiam pecuniæ voluntariam, ex motione Spiritus sancti

sancti profectam, qua homo spontè ob amorem Christi renunciat omnibus, quæ possidet: Sic enim excluditur paupertas coacta, quam multi contra propriam voluntatè incurrunt. Nomine pecuniæ, aut peculij in præsentia materia, intelligitur non solû pecunia numerata, sed etiã quicquid pecunia æstimatur, sub paupertate non solum compræhenditur exterior paupertas, sed etiam interior, quæ est carentia voluntatis habendi pecuniam.

Sic paupertas siue abdicatio, quæ necessaria est ad regularis status substantiam, debet esse in primis interior, qua quis spontè omninò velit carere, omni iure pecuniario suo, etiam quatenus est instrumentum exercendæ virtutis. Secundo, debet esse comitata paupertate exteriori. Tertio, vt non solum sit voluntaria omnium, vel aliquorum iurium pecuniariorum præsentium, vel futurorum, sed absolutè omnium. Quarto, quod non solum sit volita, sed etiam voto solemnî firmata, quo vouens omninò fit incapax, quærendi sibi bona temporalia. De his Nauarr. latius in commentario primo de regularib. à num. 24. Quoniam vt ad specialia descendamus, paupertatis violatio frequentior est, & difficilius curatur, cum magis lateat, per cõclusiones ponenda est doctrina necessaria ad præsens propositum.

Prima Conclusio. Voluntas deliberata, qua
pro-

professus regularem obseruantiam, vult, accipit, & desiderat habere propriam pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile, est peccatum mortale, contra votum paupertatis: dictum voluntas deliberata, ad excludendum mortis subrepentes sine deliberatione; probatur, sicut eis qui castitatem solemniter vouerunt, non solum nubere est damnabile, sed etiam velle nubere. capit. Vouentibus 26. d. Ita professo paupertatem etiam velle proprium possidere, aut acquirere mortale est. In hac re omnes conueniunt. Vnde S. Benedictus in Regula cap. 33. vult hoc vitium proprietatis radicatus esse amputandum: Quæ verba Turrescremata exponens ait. Radicatus esse amputandum de corde, ita vt monachus, nec intentione, nec voluntate, aut affectu aliquid terrenum proprium possideat. Nihil enim poterit pecunias non habere, si voluntas fuerit possidendi.

Secunda Conclusio. Nulli religioso professo in approbata religione tria vota, licet habere aliquid proprium. Dicitur autem secundum Panorm. Ioann. Andræam, & alios in c. Cum ad monasterium, de statu monachorum, &c. Monachus habere proprium, quando aliquid tenet, aut accipit celando suum superiorem, aut expendit contra voluntatem superioris, nec paratus est dimittere ad libitum eius, aut tradere; & quicumque monachus, aut religio-

sus aliquid proprium possidet, mortaliter peccat. Probatur Conclus. 12. q. 1. cap. Non dicatis. & cap. Scimus. & in cap. Monachi. & cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum. In d. cap. Scimus ex Urbano Papa ita dicitur. Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat, & in cap. Cum ad monasterium. Prohibemus, inquit, quoque districtè in virtute obedientiæ, sub attestatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, &c. Quod si proprietas apud quenquam in morte inuenta fuerit, ipsa cum eo in signum perditionis, extra monasterium in sterquilinio subterretur: secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. Vnde, si quicumque alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati: vel Priori: vel Cellerario assignetur, hæc ibi. Ad idem facit illud S. Benedicti in cap. 33. regulæ. Neque aliquid, ait, habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino; quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatem licet habere in propria potestate: & Cassian. libr. Institut. capit. 13. Illam asserit, sanè virtutem inter ceteras institutiones eorum com-

X

memo-

memorare, vel superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velis proprium retinens, suo debeat communitate sigillo. Consentit August. in regula sua prima cap. i. & in tertia regula cap. i.

Tertia Conclusio. Quicumque religiosus professus paupertatem, libros sibi peculiares emit, aut quamcunque rem sibi appropriat sub proprio nomine, ligno, aut sigillo, sine expressa, aut præsumpta licentia Abbatis; qui talem non concedere deberet, peccatum proprietatis committit: Quia tali modo sibi vendicare aliquid, possessionem & proprietatem denotat: Est autem religiosus factus, per dolemnem professionem paupertatis, in caput omnis dominij in singulari. Confirmatur etiam d. canonibus, & regulis monasticis.

Quarta Conclusio. Concessorum sibi à superiori suo ad utilitatem priuatam, & communem, religiosus tantum usum habet, & non usum fructum. S. Antonin. loc. cit. §. ii. Turrecrem. & Cardin. Alexan. in d. c. Non dicatis. Nauarr. in comment. 2. de regularib. & alibi communiter DD. Pro intelligentia tamen terminorum notandum, Dominium, & proprietatem rei communiter pro eodem accipiuntur, & dicunt ius perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Hinc Dominus de ipsa re disponere potest pro suo beneplacito, nisi à lege

à lege prohibeatur: Vusufructuarius autem, habet solum ius fruendi rebus & fructibus, salua substantia. Vsuarius autem habet tantum ius in fructus rei sibi nudè necessarios: vnde sequitur quod Vusufructuarius, licet non sit Dominus substantiæ rei, proprietatem tamen acquirit fructuum, ac de his non solum ad suum nudum vsum disponere potest, sed etiam superfluos donare, aut alienare. Vsuarius autem præcisè in vtilitatem suam fructibus vtitur, nec aliquid potest transferre titulo alienationis in alium. Qui autem habet simplicem vsum facti tantum, non plus habet iuris, quàm conuiuia in cibis ab inuitante appositis. Ius autem administrandi, neque est dominium, nec usufructus, nec vsum, sed ius disponendi de re aliena, nomine alieno, gratis, vel pro stipendio. De his Nauarr. in commento primo de Regularib. D. Sotus lib. 4. de iustit. & iure. quæst. 1. art. 1. & S. Antonin. loc. cit. Ex dictis elicitur, quod si religioso aliquid concessum fuerit à superiori in suam vtilitatem & vsum, quod superest non potest eo inuito, aut nesciente in alium transferre sine vitio proprietatis.

Quinta Conclusio. Monachi, qui non habent administrationem, non possunt aliquid dare etiam de superfluis suis in Eleemosynam, sine licentia superioris. S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. ad 1. Turrecrem. Cardinal. Alexand. &

alij in d. cap. Non dicatis : Ratio est evidens
 Cum enim incapaces sint propriarum rerum
 facti per votum paupertatis , & nihil posside-
 ant proprium, si debeant dare in Eleemosynis
 aut alijs donare , necesse est vt alienum sibi
 vendicent.

Sexta Conclusio. Religiosus habens aliquid
 in proprium vsum cum licentia iniusta Abbe-
 tis, aut superioris, id est, quando non est iusta
 causa mouens, aut necessitas non postulat, aut
 in finem malum impendit, peccat iuxta com-
 munem Doctorum sententiam. Antonin. loc.
 cit. Turrecremat. Alexandrin. & alij in d. cap.
 Non dicatis. Humbert. in regula. 8. Augustin.
 Nauarr. in commentar. 2. d. a numer. 21. Quae
 Hostiensis & Cardinalis Zabarel. in dicto cap.
 Cum ad monasterium, rectissime tradunt li-
 centiam non esse concedendam religiosi, vt
 aliquid in vsum proprium teneat, nisi ex mag-
 na & euidenti causa. Dubium autem hic con-
 tur. Quomodo peccent, concedens iniustam
 licentiam, & ea vtens.

Communior sententia, quod concedens
 abutitur potestate in destructionem. Receptus
 ens verò peccet peccato avaritiae, tenendo ali-
 quid sine rationabili causa. Nauar. putat quod
 committat peccatum proprietatis, si non est
 paratus dimittere, simul ac fuerit requisitus.
 Non tamen incurrit poenas d. cap. Cum ad
 monasterium; quia cum scientia & licentia
 vi-

vitur bonis monasterij, licet non ex sufficienti causa.

Sexta Conclusio. Monachi quicumque professi, si arte manuum, aut industria aliquid pecuniæ acquirunt, & retinent, aut mortuis parentibus accipiunt, vel sibi dum professionem faciunt, reseruant aliquam partem, de qua pro sua libera voluntate disponant, sunt proprietarij. Cõstat ex canonibus citatis, regulis monachorum, & communi DD. sententia. Quia dicti, peculium proprium possident contra votum paupertatis.

Septima Conclusio. Monachi, qui verbo, sermone, aut scripto, pro rebus cõcessis ad vsum contendunt, ac si res suæ essent, & earum dominium, aut vsumfructum haberent, sunt proprietarij, constat ex regula S. Benedicti in dicto capi. 33. Nec quisquam aliquid suum dicat: vel præsumat, & Cassian. loc. cit. testatur magnum fuisse crimen ex ore monachi processisse. Codicem meum, tabulas meas, tunicam meam, caligas meas, &c. & si quis aliquo casu per surreptionem, vel ignorantiam protulisset, digna pœnitentia satisfacere debebat. Ad idem facit August. in reg. sua loc. cit. Cuius doctrina adfertur in dict. cap. Non dicatis. Confirmo latius. Turrecr. in Regulam S. Benedicti tract. 92. & in d. cap. Non dicatis. Cardin. Alexandr. ibidem cum Nauarro tradunt, si religiosus cū asseueratione dicat aliquid suum, & ea mente

ae si suum esset, quod mortaliter peccet: Secus
verò si inadvertenter, non intendens domi-
nium, aut possessionem, tunc erit veniale: Imo
putat Nauarrus & benè. Si religiosus dicat rem
suam, intendens quo ad vsum, administratio-
nem, aut simplicem facti detentionem, non
peccet.

Octava Conclusio. Monachus, qui testamen-
tum facit, aut vltima voluntate disponit de
quocunque peculio, aut re pecunia aestimabi-
li; est proprietarius, & si sic moritur, damna-
tur; & si non velit, nec efficaciter proponat
reuocare, non est absoluendus: cum in statu
peccati mortalis velit permanere, nec sit con-
tritus. Quod etiam locum habet, quoties mo-
nachus nesciente Abbate, & non concedente
licentiam, aliquid peculij tenet. Conclusio
constat ex cap. 2. de testam. & communi sen-
tentia DD. ibid. Nauarr. in Manuali confessa-
riorum cap. 27, num. 270. & in comment. 2. de
regularib. num. 22. Ratio etiam est in promp-
tu. Cum iuxta dicta monachus nullius rei ha-
beat dominium, aut vsum fructum, non est de
quo possit testari, nisi velit sibi aliquid contra
votum appropriare: Si autem monachus ex
testamento hæres instituatur, hæreditas mo-
nasterio eius defertur, si monasterium sit ca-
pax bonorum in communi: Quia religiosus
quicquid post professionem acquirit, mona-
sterio adiungit, vt infra latius patebit. Putat
tamen

tamen Nauarr. quod religiosus benè meritis, sine peccato possit rogare superiorem, vt aliquid de rebus in vsum habitis, in aliquem vsum pium, aut honestum det, tunc enim nihil disponit, sed voluntati superiorum relinquit.

Nona Conclusio. Religiosus, cui committitur dispensatio, & administratio rerum monasterij, potest sine vitio proprietatis de rebus monasterij pro vtilitate & necessitate eiusdem iuxta facultatem sibi factam à superiore, disponere. Ex cap. Cum ad monasterium; & communi sententia. Debent autem officiales monasterij expendere tantum in vsus necessarios, & vtilis monasterio, tanquam fideles dispensatores bonorum Dei, & non in seculares, aut inhonestos, alioquin grauissimè peccant. Quia superiores non possunt plus licentia & facultatis facere inferioribus, quantum ad rerum communium dispensationem, quam ipsi habent. Non habent autem ipsi potestatem disponendi de rebus monasterij pro sua voluntate, sed tantum ad vtilitatem, & necessitatem monasterij. Cum eis potestas data sit ad ædificationem, & non in destructionem.

Decima Conclusio. Religiosus si furetur quippiam notabile, duplex peccatum mortale committit: Patet Conclus. Quia in primis peccat contra præceptum. Non furaberis. Deinde aduersatur voto paupertatis, appropriando sibi.

Vndecima Conclusio. Religiosus post professionem quicquid acquirit, defertur monasterio, constat ex Authent. Ingressi. C. de sacrosanct. Eccles. & ibidem in Authent. si qua mulier, vbi Iurisperiti ita cōmuniter sentiunt, & canonici DD. cum text. in c. in præsencia, de probationib. Imò quorundam Iurisperitorum, vt Cuius & aliorum in d. Authent. si qua mulier. & Decretalium in d. c. in præsencia, sententia videtur, quod etiam nouitius acquirat monasterio, si in nouitiatu moriatur: à qua tamen sententia cōmuniter rectè receditur. Quia monasterium quicquid acquirit, consequenter ad consecutionem personæ, cui bona adhærent, acquirit. Monasterium autem personam absolute non acquirit, nisi per solemnem professionem, in qua nouitius mundo moritur, & omni rerum proprietati recunciat. Conclusionem dictam intellige de monasterijs, quæ sunt capacia bonorum in communi.

Dubium, quod aliquando occurrit, resoluendum.

Quid si religiosus transeat à primo monasterio ad aliud, quodnam acquirit bona religiosi.

PRO resolutione fit. *Duodecima Conclusio.* Quando Religiosus sine iusta causa, & licentia sui superioris transit ad aliud monasterium, bona iam acquisita primo monasterio, non transferuntur in secundum, quantum ad pro-

proprietatem. Ioann. Andrazas. Hostiens. &
 Francus in cap. Quod à te, de clericis coniug.
 & hæc recepta est opinio attestantibus, Socino
 seniori in Consil. 52. lib. 4. à numer. 14. & Me-
 nochio lib. 2. de arbitrarijs Iudicum quæstio-
 nib. casu 436. vbi hanc materiam doctissimè
 discutit. Quando autem iusta de causa, cum li-
 centia Abbatis fit transitus ad aliud monaste-
 rium, sanior opinio est, quod secundum mo-
 nasterium acquirat cum persona. Quia pra-
 latus iusta ex causa concedens licentiam ad
 transeundum, videtur etiam dare licentiam
 conferendi bona in consequentiam personæ,
 cui adhærent Cardinal. & Abbas in dicto cap.
 Quod à te, & Menochius loc. cit. Arbitror ta-
 men distinctione posse conciliari vtramque
 opinionem: aut bona iam sunt acquisita pri-
 mo monasterio, & habebit locum alia opinio,
 quod bona maneat apud prius monasteriū:
 Quia non caret etiam auctoritate & ratione:
 Aut acquiruntur post transitum ad secundū
 monasterium, & habebit locum opinio Car-
 dinalis, Abbatis, & Menochij: Ad hanc con-
 cordiam accedunt Syluest. in summa verb.
 Apostata q. 9. Panormit. in cap. final. de Regu-
 laribus.

Tertiadecima Conclusio. Quando religiosus
 ob sua demerita, & malos mores, ac crimina
 digna translatione & detrusione, transfertur
 ad aliud monasterium, vsusfructus bono-

X 5 rum

rum quæ quantum ad proprietatem primo
 acquisiuit, debentur secundo pro sustentatione
 & onere: post mortem tamen eius redibunt
 ad primum, secundum communioem sententiam,
 vt ait Syluest. in verb. Apostasia. q. 9. constat
 conclus. 16. quæst. 6. cap. de lapsis, addito
 cap. Si quis rapuerit. 27. quæst. 1. Et sic
 tradunt Gloss. in d. cap. Si quis rapuerit: Hostiens.
 in summa de cler. coniug. §. & in qua. versic. Si cum
 licentia. Ioan. Imolenf. & Cardinal. Zabarella
 in cap. Quod à te: de cler. coniug. Archidiacon.
 in d. cap. Si quis rapuerit: Angelus in verb.
 Monasterium. §. 6. Aurea Armilla in verb. Religio.
 §. 17. Syluest. loc. cit. allegat etiam ad hoc
 Raymund. & summam Confessoriorum, Menochius
 putat tantum esse secundo monasterio dandum,
 quantum sufficit pro sustentatione, & id moderandum
 arbitrio iudicis: Quod ait Archidiacon. arbitrio
 Episcopi. Si tamen in tali casu Abbas cum
 saniori parte conuentus renunciaret suo iuri,
 & pro onere totam hæreditatem ex iusta
 causa relinqueret secundo, secundum
 monasterium cum persona, totam hæreditatem
 acquisitam, aut acquirendam iuste acquireret.

Quartadecima Conclusio. Quicquid acquirit
 etiam monachus fugitiuus, etsi habitum dimittat,
 monasterio acquirit, ex text. & Gloss. 18. quæst. 2.
 cap. Abbates. Panormit. in d. cap. Quod à te,
 & in cap. fin. de regul. Nauarr. in
 comit.

comm. 2. de regul. num. 33. Barthol. Brixienf. in quaest. dominicalib. quaest. 7. & 8. & alij alibi. Ratione adiuncta Gloss. l. 1. §. Per hanc. C. de rei vendic. Sicut seruus fugitiuus non quaerit sibi, sed domino. Ita monachus fugitiuus non sibi sed monasterio. Tandem quanta mala generet vitium proprietatis in monasterijs, ostendunt Turrecremata latissimè super Regulam S. Benedicti tractat. 92. & 93. & in d. cap. Non dicatis, & Cardinalis Alexandrinus ibidem.

Do voto castitatis perpetuae.

AD statum religionis requiritur abstractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur omni modo in Dei seruitium. Vfus autem carnalis copulae retrahit animum, ne totaliter in Dei seruitutem feratur, tum propter vehementiam delectationis, ex cuius frequenti experientia, augetur concupiscentia carnalis, quæ retrahit animum à perfecta intentione tendendi in Deum: tum propter solitudinē, quam ingerit sustentatio rei familiaris, & filiorum. Vnde Apostolus. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori. Et ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, sicut & voluntaria paupertas. De hac continentia ad propositum S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 4.

Quo-

Quomodo damnabile sit post votum castitatis in professione emissum, actus venereos exercere: aut Matrimonium contrahere, docent clarissimè sancti Patres, S. Hieronym. lib. 1. contra Iovinianum, Chrysof. in libr. de Virginitate, cap. 39. & in Epistola 6. ad Theodorum lapsum. Augustin. in libr. de bono viduitatis. capit. 8. 9. & 11. & in Psalmum 75. Super illa verba. Vouete & reddite Domino Deo vestro, &c. Basil. Magnus in libr. de vera virginitate, & in regulis fusè explicatis regul. 14. Ambros. in lib. ad Virginem lapsam. c. 5. Plurima tam Patrum quam Conciliorum testimonia pro hac materia, qui legere voluerit, videat 27. quæst. 1. & Alphonsum à Castro lib. 14. aduersus hæreses in verb. Votum, qui etiã soluit obiectiones votifragorum & hæreticorum. Nunc breuibus videndum qui peccent contra votum perpetuæ castitatis.

Prima Conclusio. Qui votum castitatis emisserunt, toties mortaliter votum suum infringunt, quoties animo deliberato volunt nubere: aut matrimonium contrahere. Constat conclus. 27. d. capit. Vouentibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle, damnabile. Idem tradunt sancti Patres, & probant ex illo Pauli 1. Timoth. 5. Adolescentiores viduas deuita: Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem. Sic Augustin. de bono viduitatis cap. 8. Cum enim

enim in delitijs egerint, inquit, in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, voluntatem ad nuptias à proposito continentiae deflexerunt, & in capit. 9. habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen volendo: Fulgentius in Epistola 1. de coniugali debito. cap. 6. Ad idem accedit S. Hieronymus. cuius dictum refertur in dicto cap. Votuentibus. Multò autem fortius peccant quando de facto contrahunt & consummant, & matrimonium est nullum, vt de sacramento matrimonij traditum est.

Secunda Conclusio. Religiosus etiam peccat mortaliter contra votum continentiae, quoties exercet aliquem ex actibus luxuriae, qui cuilibet Christiano sunt mortales, de quibus dictum in secunda parte in cap. de luxuria. Quia omnes actus luxuriae aduersantur voto perpetuae castitatis: Vide Syluestrum in verb. Religiosus. 6. quaest. 8. & S. Antoninum loc. cit. §. 10.

Tertia Conclusio. Eadem est ratio, si quis voluntate deliberata velit aliquem actum luxuriae exercere mortalem, aut mortali periculo committendi voluntariè se tradere non dubitet, constat Conclus. Quoniam non solum opere, sed etiam voluntate peccatum completus

mus. De occasionibus & periculis luxuriæ vitandis, tradit S. Antonin loc. cit.

De voto obedientie.

OBEDIENTIA est virtus, quæ promptam hominis reddit voluntatem, ad implendum voluntatem superioris præcipientis. Eius obiectum est, ut ex definitione colligitur, superioris præceptum tacitum, aut expressum, ut tradit S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 2. Attenditur autem maximè ratio obedientiæ, in eis, quæ secundum se non sunt volita, sed voluntati repugnant, tunc enim manifestum est, quod non adimpletur nisi propter præceptum. Quare sancti Patres eam maximè commendant obedientiam, quæ exercetur in rebus propriæ voluntati repugnantibus, & asperis, tunc enim manifestum est, quod non impletur nisi propter præceptum, Gregor. lib. vit. moralium cap. 13. S. Thom. loc. cit. ad 3. Hieron. in Epist. 4. ad Rusticum monachum. Basil. in regulis brevioribus, interrogatione 96. & alij alibi.

Deinde prout sapientissimè S. Thom. in d. 4. art. 1. tradit, sicut in naturalibus, inferiora superiorum motui subijciuntur: Ita in humanis, ex ordine naturalis & diuini iuris inferiores mouentur à superioribus, per motum & imperium voluntatis, qua manifestata debent obedire, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ. Rectè Apostolus ait, omnis potestas à Deo,

Deo, & iterum. Quæ ordinata sunt, à Deo *Rom. 13!*
sunt, & iterum. Qui potestati resistit, Dei or-
dinationi resistit.

Obedientia autem maximè necessaria est
statui religionis: Quia in religione est discipli-
na, & exercitium tendendi ad perfectionem,
ad quod exercitium requiritur dux siue magi-
ster qui dirigat in his, quæ regularem statum,
& conuersionem concernunt, cui inferiores
in regimine subijci necesse est: Subijciuntur
autem inferiores per obedientiã: Quare pru-
dentissimè sanctus Benedictus prologum suæ
regulæ incipit in hæc verba. Ausculta, ô fili,
præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui,
& admonitionem pij Patris libenter excipe, &
efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ
laborem redeas, à quo per inobedienciæ de-
sidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus ser-
mo dirigitur, quisquis abrenunciens proprijs
voluntatibus, Domino Christo vero regi mi-
litaturus, obedientiæ fortissima atque præcla-
ra arma assumis, hæc tibi. Ob eamque causam
in fine eiusdem regulæ, religionem rectè scho-
lam dominici seruitij appellat, in qua perfecto
ad institutionem, & vitiorum emendationē,
obediencia ante omnia requiritur. De laude
& vtilitate obedientiæ, præclara tractat Car-
dinalis Turrecrem. supra regul. S. Benedicti
tractat. 55. & tractat. 59. Nunc pro materiæ re-
solutione sit.

Prima

Prima Conclusio. Religiosus obedire tenetur suo superiori in eis, quæ spectant ad regulam disciplinam religionis, quam professus est. Constat Conclusio ex ratione voti emissi ab eo, & communi sententia: Sicut enim miles duci exercitus in his, quæ spectant ad bellum, seruus Domino in his, quæ pertinent ad servilia opera exequenda: filius patri in his, quæ concernunt disciplinam vitæ, & curam domesticam, tenetur obedire: Sic religiosus suo superiori obligatur morem gerere in his, quæ spectant ad statum religionis, quam solemniter in professione suscepit.

Secunda Conclusio. Si prælatus religiosi, ei præcipiat, quæ sunt contra Deum, aut contra regulam, inferior non tenetur ei obedire. S. Thom. q. 1. artic. 15. & q. 10. art. 10. S. Antonin. loc. cit. §. 9. & Summistæ in verb. obedientia. Ratio est, quia oportet magis obedire Deo, quam hominibus. Actor. 5. & prælato etiam concessa est potestas præcipiendi ea, quæ sunt secundum regulam & non contra. Eadem est ratio, si præciperet aliquid prælatus, quod suam potestatem excederet. Quando autem aliquid præcipit prælatus, honesti & utilis, quod tamen communem regulam excedit, nec ad regulæ conservationem necessarium est, tunc obedire non est necessitatis, sed perfectæ obedientiæ, quæ morem gerit in omnibus licitis. Indiscreta autem est obedientia in illicitis obedire.

Tertia

Tertia Conclusio. Religiosus peccat mortaliter, quando aliquid transgreditur præscriptū in regula, vel constitutionibus obligans ex mente legislatoris ad mortale, ex communi sentētia Doctorum. Quia superiores possunt, & habent potestatem condendi regulas, & leges obligantes ad mortale.

Quarta Conclusio. Non omnia quæ continentur in regulis monachorum obligant ad peccatum mortale. Quia status religionis est securior quam secularis, iuxta S. Gregor. primo moral. capit. i. ubi comparat vitam secularem mari fluctuanti, vitam regularem portui tranquillo. Sed si quælibet transgressio esset mortalis, religionis status esset periculosissimus propter multitudinem obseruantiarum, & vix vnus de multis saluaretur: S. Thom. 2. 2. quæst. 186. artic. 9. S. Antoninus loc. cit. §. 9. Turrecremat. tract. 5. & 6. super Regul. S. Benedicti. Quando autem regula, aut constitutiones præter transgressionem trium votorū substantialium obligent ad mortale, id colligendum ex verbis, aut pœna adiuncta, vel necessitate rei, vel ex determinatione statutorū, aut superiorum. Quia his modis colligitur, an lex, aut statutum obliget ad mortale. De hac materia Panormitan. & DD. canonum in cap. Nam concupiscentiam, de constitut. & idem Panormitan. in cap. Cleric. de vita & honest. cler. Turrecrem. tract. 5. & 6. super regu-

Y lam

lam S. Benedicti. Nauarr. in Manuali confessorum. cap. 23. à num. 49. Alphons. Castrenf. lib. de legis pœnalis potestate cap. 5. Commendatur autem à DD. præcipuè regula prædicatorum, eo quod eius auctores non obligent ad culpam, sed tantum ad pœnam, nisi expressè præceptum sit, aut contemptus accedat, ut patet ex prologo Constitutionũ. S. Thom. loc. dict. Panorm. in cap. Relatum. Nec clerici vel monachi cum Hostiens. Turrecr. loc. dict. S. Antonin. §. 13. loc. cit. Nauarr. in Manuali confessorum. cap. 23. num. 62.

Quinta Conclusio. Religiosus, aut monachus tenetur obedire superiori sub peccato mortali, in subeunda Pœna taxata secundum regulam, aut rectam rationem. Quia regularis virtute voti obedientiæ tenetur obedire prælato secundum regulam, & illi accessoria præcipienti, cap. Quorundam, &c. Si religiosus de elect. in 6. Constat etiam ex illo Rom. 13. Qui potestati resistit, diuinæ ordinationi resistit, &c. & qui resistit damnationem sibi acquirit, &c. Si malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Accedit S. Thom. in q. loc. cit. Hinc Nauarr. in commentatio 4. de regularib. num. 63. tradit religiosum legitime à superiori tuo ad perpetuum carcerem damnatum, & inclusum, non posse absq; peccato mortali fugere: & si fugiat, teneri ad redeundum coram Deo, & in conscientia, nisi superior ex causa ei gratiam faciat. Sexta

Sexta Conclusio. Inferior in minimis tam regulæ præscriptis, quàm prælati præceptis ex contemptu potest mortaliter peccare. S. Thomas 2. 2. quæst. 186. artic. 9. Antonin. Turrecrem. loc. cit. Bernard, in lib. de dispensatione & præcepto. Neglectus vbique culpabilis, cōtemptus vbique damnabilis. Ex contemptu autem secundum S. Thom. in d. art. 9. ad 3. & Nauarr. num. 43. loc. cit. peccat, qui renuit subijci legi, aut regulæ, aut superiori, quia illam, vel eius auctorem contemnit, aut paruit, non autem qui principaliter mouetur per iram aut aliquam passionem, aut aliam iniustam causam.

Aduertendum autem superiorem, quando vult aliquem in iubendo ad mortale obligare, uti verbis præcipio, aut mando sub obedientia, aut in virtute eius, siue Spiritus sancti, aut sub pœna excommunicationis, aut carceris. Quando his & similibus modis vtitur in sermone, intelligitur, quod sub mortali velit obligare.

Postremò in materia horum votorum, quæ dicta sunt de monachis, in suo gradu etiam intelliguntur de monialibus, solemniter professis in approbata religione.

Y 2 CA

CAPVT IX.

DE IRRITATIONE, COM-
mutatione, & Dispensatio-
ne votorum.

*Irritatio,
Dispensatio,
& com-
mutatio
differunt.* DIFFERUNT hæc tria. Irritatio non alia in-
diget causa, quam voluntate illius qui ad
irritandum habet potestatem. Dispensatio ius-
tam requirit causam, & tunc omninò, potest
tollere obligationem. Commutatio autem, si
causa subsit, commutat votum in aliud meli-
ùs bonum, aut æquè bonum.

Irritatio spectat ad eum, qui potestatem in
alium habet. Inferior enim in eo, in quo subij-
citur suo superiori non potest emittere votum,
nisi superior consentiat: aliàs potest irritare, si
sibi præiudicet in aliquo. Sic pater potest ante
iustam ætatem irritare vota filiorum, Maritus
vxoꝝis, Abbas suorum monachorum, &c. Cui
autem Abbas ampliorem habeat in suos pote-
statem, pro sua voluntate, quãdo ei visum fue-
rit expedire, poterit irritare vota monachorũ,
nec peccat nisi ex malitia faciat.

Commutatio voti est, quando obligatio
vnius rei transfertur in aliud bonum æquale,
vel melius auctoritate Ecclesiæ, id est, prælati
Quando autem evidens est, quod votum
in melius commutetur, poterit fieri propria
vo-

*c. scriptu-
re, de voto.
Pau. &
Imo. ibi.*

uouentis libertate. Hinc sine vlllo scrupulo, omnia vota possunt commutari in votū Religionis. In commutatione votorum oportet commutantem perpendere vouentis qualitatem, & expensas, quas factururus esset in executione voti, & sic omnia ponderare.

Dispensatio voti est, quando ab eo, qui habet potestatem iusta de causa voti obligatio aufertur. Ad dispensationem duo requiruntur Auctoritas, siue potestas in dispensante, & causa. *Quae requiruntur ad iustam dispensationem.*

Causæ sunt duæ præcipuæ. Honor Christi, & utilitas Ecclesiæ. Ad has referuntur necessitas, difficultas, & æquitas. Item in vouente leuitas, facilitasque in vouendo.

Pontifex ob plenitudinem potestatis potest dispensare in tota Ecclesia. Peculiariter autem ipsi referuntur hæc quinque. Votum perpetuæ continentiæ. Votum simplex religionis. Peregrinationis in Hierusalem. Ad limina Apostolorum, id est, Romam ad S. Petrum & Paulum, & ad S. Iacobum Compostellam.

His demptis potest Episcopus cū suis subditis in reliquis dispensare. Hinc Episcopus potest dispensare in voto castitatis non perpetuæ. Item, vt habens arctioris religionis votum, laxiorem intrare valeat, tunc enim non dispensat in voto religionis, sed in arctiori vinculo.

Y 3 Si

Si monachus professus faciat votū arctioris religionis, eius Abbas, vel prelatus legitima accedente causa, in tali voto dispensare, non autem illud irritare potest: quia habet potestatem in monachum quæ ad dispensandum, si causa subsit, sufficit, caret autem dominio super actu vouendi arctiorem religionem, & ideo irritare talem actum nequaquam potest, vt rectè tradunt Dominic. Sotus lib. 6. de iustit. & iure. q. 4. art. 2. & Ioseph. Angles in florib. Theolog. sentent. in 2. part. in 4. in q. de voto. 9. difficult. conclus. 6.

CAPVT X.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

De intelligencia huius præcepti S. Thom. 22. q. 122. art. 4.

Memento, vt diem Sabbathi sanctifices.

SABBATHVM nomen Hebraicum est, Latinè interpretatur cessatio.

Hoc præceptum partim morale, partim cæremoniale est. Morale, quia naturalis ratio dicit, vt homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandū diuinis. Cæremoniale, quo ad determinationem certæ diei scilicet Sabbathi.

Præcepti huius scopus est, vt homo corpore & animo in hanc curam, cogitationemque incumbat, vt statuto tempore à negotijs externis, & laboribus seruilibus vacet, ac Deo debitam seruitutem impendat.

Ha

Hæ autem actiones sunt in quibus Christianus se diebus sacris exercere debet, accedere ad templum, missæ sacrificio cum deuotione interesse, diuina sacramenta deuotè frequentare, attentè diligenterque sacras conciones audire, & sedulò in pijs operibus se exercere.

Quæ facere prohibemur in Sabbatho, & festo?

OMNIA opera seruilia prohibentur, quæ sunt illa, quæ propriè seruiantibus cõueniunt, prout in Leuitico 23. definitur. Omne opus seruile non facias in eo. Non autem illa, quæ communia sunt tam in ijs, qui seruiunt, quam illis, quibus seruitur, secundum S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

Excusant à fractione huius præcepti. Necessitas, Pietas, & Paruitas operis.

Necessitas multiplex occurrere potest, Corporis, vitæ propriæ, aut alienæ, sic licitum est pugnare in festo pro defensione, 1. Machab. 4. sic etiam laborare licitum ijs, quibus hoc necessarium ad vitæ sustentationem est, modo absit scandalum, & diuina non negligantur. Hac ratione medici & pharmacopola excusantur, quando præparant medicamenta pro ægrotis. Idem est iudicium de coquis, qui coquunt cibos, & emunt necessaria ad victum. Alia est necessitas vitandi damnum proprium, vel proximi, quod imminet,

Y 4 nisi

Matth. 12. nisi opus fiat. Ad hoc facit Christus in Euangelio. Cuius vestrum bos, vel asinus cadit in foueam, nec extrahit illum, &c. Eodem pacto excusantur, qui laborant, quando imminet magna inundantia aquarum: quæ notabile damnum inferret fructibus, aut seminibus. Propter eandem causam licitum est facere opera, quæ nesciunt moram, sed requirunt continuationem; vel quando est elapsus tempus, damnum non est reparabile: Sic laborant qui coquunt tegulas, vitrum, ollas, calcem, ferrum, &c.

Eadem est ratio de captura quorundam piscium, qui certo tempore capiuntur, quo completo non est amplius commoditas, capit. Licet, de ferijs. tamen huiusmodi deberent facere aliquam Eleemosynam in proximas Ecclesias.

Dubium hic esse potest. An venatio etiam sit prohibita in festo?

SI quis diebus festis audita missa venetur non est peccatum, nec prohibetur hoc præcepto, quia non est opus seruile prohibitum hoc præcepto, vt tradunt Caietan. in summa in verb. festos dies, & Nauarr. in Manuali cap. 13. num. 11. Si autem quis in festo venetur non audita missa, mortaliter delinquit, nisi venatio esset

esset magni momenti, & ex mora damnum notabile sequeretur.

Est etiam necessitas coactionis, quando aliquis iusto metu cogitur laborare in festo, & nisi faciat, incidit in aliquod damnum reale, vel personale. Sic excusantur subditi, quando compelluntur à Dominis ad laborandum. Item famuli, & ancillæ, quando coguntur à Dominis ad seruilia opera: Si tamen Domini compellunt laborare, expleto tempore discedant ab eis, vt rectè Nauarr. docet.

Prohibentur etiam quædam in festis fieri, quæ non sunt seruilia, cap. Licet. de ferijs, Mercatus siue nundinæ, Placidum, per quod intelliguntur lites & processus iudiciales. Iudicium ad mortem, vel ad pœnam, & Iuramentum.

Quantum ad nundinas in die festo, minima ad quotidianum vsum necessaria vendere, aut emere, in quibus nulla, aut exigua conuentione necessarium est, non est illicitum. Si autem in aliquo loco consuetudo est, vt nundinæ in festis celebrentur, si Episcopus, vel superiores non prohibeant, negociantes, vel euntes ad huiusmodi nundinas, si missam nõ audiant nisi legitima causa excuset, mortaliter agunt, Syluester verb. Dominica. q. 3. Nauarr. in Manuali cap. 13. num. 8.

Pietas etiam excusat, vt si quis labore ad subueniendum miseræ proximi, modò prius

Y 5

missam

missam audiat, & non faciat ob lucrum, vel respectum humanum.

Paruitas operis itidem efficit, ne festum violetur: Quia ratione excusantur mulieres, quæ purgant domum, vel famuli, qui parua ligna secant pro necessitate: aut barbitoniores, qui aliqua ratione impediti tondent barbam alicuius, vel paucorum, nisi in consuetudinem ducant: Eadem ratione videntur excusari, qui molunt molendinis fluuiorum & ventorum, quæ sine magna occupatione molunt.

An sit licitum iter facere in die festo?

LICITUM est facere iter necessitate urgente, aut aliqua rationabili causa mouente, modè missæ officium non negligatur. Si quis autem iumenta sua die festo, aut in eius uespere ad alia loca mittat, ut festi utilitatem lucratur, peccat. Rosella verb. Feriæ. & Nauarr. numer. 12. loc. cit. Nisi ducens missam audiat, aut paruitate rei excusetur.

CAPVT XI.

DE QVARTO PRAECEPTO.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sit letitiam genus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Sicut præcepta primæ tabulæ edocent, *S. Thom. 2.*
 Quomodo Deus sit colendus, ita secundæ *2. q. 122.*
 informant in ordine ad proximos. Inter pro- *art. 5.*
 ximos autem maximè obligamur parentibus:
 quare immediatè post præcepta ordinantia
 nos in Deum, ponitur præceptum instituens
 honorem parentum, qui sunt principium vitæ
 secundum carnem.

Parentum nomine intelliguntur in primis *Quid no-*
 illi, ex quibus generati sumus, vt sunt Pater & *mine pa-*
 Mater, amici & sanguine iuncti, &c. his suc- *rentū in-*
 cedunt Ecclesiæ Præsides, Pastores, & Sacer- *telligatur.*
 dotes.

Tertium locum obtinent ij, penes quos est
 potestas gubernandi rem publ. Deinde paren-
 tum loco habendi alij, quorum curæ, fidei, &
 sapientiæ commendamur: vt sunt tutores, cu-
 ratores, pedagogi, & magistri. Tandem pa-
 rentum vices subeunt senes & ætate confecti,
 quos etiam reuereri debemus. Scriptum est
 enim. Coram cano capite consurge, & honora *Leuit. 19.*
 personam senis, & time Dominū Deum tuū.

Honor parentibus debitus consistit in re-
 uerentia, & sustentatione.

Reuerentia impenditur amando, obediendo,
 & honorando tam corde, quam verbo &
 opere. Sustentatio requirit solatium, seruitium
 operum, & administrationem temporalium,
 quando parentes sunt in necessitate.

Ex vi huius præcepti filij peccant, si paren-
 tes

tes odio prosequuntur, si non obediunt in eis quæ spectant ad regimen domus rei familiaris, ac etiam ad bonos mores, & salutem animæ. Nec non etiam quando percutiunt, maledicunt, ad iracundiam, prouocant, Matrimonium sine iusta causa absque parentum consensu, & consilio contrahunt, eorum vitam voluntatem non exequuntur: aut non pio amore post mortem prosequuntur celebrando exequias, debita soluendo, aut in iustis per vsuram acquisita restituendo pro æquitate, cap. Michael. de vsur. Gloss. & DD. ibidem.

Huc spectat quoque, si filij parentibus agrotis, aut in necessitate constitutis non subueniunt: Si autem parentes filijs impedimento sint in via salutis, non obediendum est eis ut si filij extra annos pubertatis sint, & velint ingredi religionem, parætes nolint. Tunc illa Hieron. sententia ad Heliodorum seruanda. Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ad vexilla crucis euola, summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelium. De his ad longum Nauarr. in Manuali cap. 14. à numer. 11. Angelus in verb. filius, & in verb. interrogationes in confessione circa 4. Preceptum, Syluest. & alij in verb. Filius.

De obligatione parentum erga filios.

SIC peccant parentes, si cum notabili damno filijs non prouident in necessarijs, ad salutem

lutem tam spiritualement, quàm corporalem, si vident ambulare per vias vitiorum non corrigunt, castigant, & in disciplina continent: Si contra iusta vota castitatis cogunt, aut inducunt ad coniugium: Eadem est ratio, si filios blanditijs, dolis, aut minis cogunt, ad religionem. Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. de regularibus. Idem est iudicium si parentes filios exponunt ianuis, hospitalibus, aut locis publicis sine necessitate: aut si mater infantem proprio lacte non nutriat, aut per nutricem negligat lactare. Quando enim iusta causa subest, mater potest tradere alteri infantem lactandum aliàs veniale peccatum committit.

Continetur quoque hoc præcepto mutua obligatio Domini & serui, Præceptoris & discipuli, Magistratus vtriusque & subditorum, Vxoris & mariti, ouium & Pastoris, de quibus Nauarr. ad longum.

CAPVT XII.

DE QVINTO PRAECEPTO.

Non occides.

HOc præcepto non solum prohibetur homicidium externum: aut quodcunq; corporale proximi nocumentum, sed etiam interior actus voluntatis occidendi, aut damnum

Matth. 5.

num corporale inferendi. Dicitur est, ait Christus antiquis, non occides, ego autem dico vobis. Omnis, qui irascitur fratri suo reus erit, &c. Deinde hoc præcepto prohibita est omni iniusta occisio, quæ deuiat à recta ratione, &

Quid nomine homicidij intelligatur.

lege naturali. Nomine autem homicidij intelliguntur omnis truncatio, mutilatio, verberatio, notabilis in corpore læsio, alijque actus qui tendunt in nocendum salutis corporalis proximi. Tandem hoc præcepto non vetitur occisio, quæ committitur publica auctoritate: Non enim sine causa potestas gladium portat, sed ad vindictam malorum, vt Apostolus scribit. Quando dicitur. Non occides, prohibetur etiam occisio sui ipsius: Neque enim aliud, Augustinus dicit, quàm hominem occidit, qui seipsum occidit. De hac materia leg. S. Thom. 2. 2. quæst. 64.

Rom. 13.

Casus in quibus priuat a persona potest occidere.

Moderamen inculpatæ tutela quid sit.

PRIMO. In defensionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt iunt. Moderamen autem inculpatæ tutelæ est, quando quis in tantum facit, quo omisso violentia repelli non potest: & in hoc casu attendendum, ne inuadens iustam habeat causam, quia tunc non liceret se defendere. Huiusmodi defensio non solum licita laicis, sed etiam clericis, contra quosdam qui distinguunt

inter laicum & clericum, quia est iuris naturæ, ut quisque vitam suam defendat. De hac latissimè tractamus in cōment. de iniurijs & damno dato, cap. 1. q. 5.

Secundo, In defensionem rerum suarū cum dicta tamen moderatione. Exod. 22. Si effringens fur domum, siue suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. in argum. Sed contra S. Antonin. in 3. part. tit. 4. cap. 3. §. 2. Sotus lib. 5. de iustit. & iure. q. 1. art. 8. Caiet. 2. 2. q. 64. art. 7. Obseruan- *Nauarr. in Manuali. c. 15. num. 2. & seq.*

Tertio. Pro defensione honoris etiam licet occidere cū iusto moderamine. Sotus loc. cit. Caietan. in summa verb. excommunicatio cap. 10. Nauarr. in Manual. Confes. cap. 15. nu. 4. & alij alibi. Et licet hæc doctrina multorum DD. sit, tamen non est admodum tuta in conscientia, ut nos post alios latè ostendimus in d. comment. c. 1. q. 6. conclus. 8.

Quarto. Pro defensione amicorum, parentum, & proximi, cap. Si verò. de sentent. excomm. & DD. ibidem. & 23. q. 3. cap. non in inferenda.

Quinto. Licitum est mulieri occidere pro conseruatione propriæ virginitatis, quando ali-

aliquis ei vim vult inferre, quādo alia via conseruare non potest. Caietan. loc. cit. Anton. 2. part. tit. 7. cap. 8. & alij alibi. In his casibus occidens potest peccare, si ex odio aut privata vindicta alium intendat occidere, & non tantum se defendere. Intentio defensionis debet esse per se: occisionis autem per accidens, Thom. loc. cit. art. 7.

An liceat marito vxorem in adulterio depraheſam occidere, & ipsum adulterum?

CIVILIBVS legibus hoc permissum est propter doloris grauitatem, quem tunc perferre molestissimum est: vt habetur L. Grachus. C. ad Legem Iuliam, de adult. & L. Marito. ff. eodem tit. Sed his non obstantibus certissimum & receptissimum est, talem peccare contra præceptum, Non occides, & in foro conscientia homicida iudicatur. Sancti Thom. in 4. senten. d. 37. quæst. 2. ad prim. Paulud. & alij in ead. d. Sylueff. in verb. Homicidium. 1. quæst. 2. Felin. in cap. Si verò 1. de senten. excommun. Panormitan. in cap. Veniens de spons. Nauarr. in Manuali Confess. cap. 15. nu. 4. & post plures latè. Couarr. de matr. 2. part. 7. à nu. 15. & hæc est communis doctrina, & patet. 33. q. 2. cap. Inter hæc. Vbi ex Nicolao Papa dicitur, quod sancta Dei Ecclesia mundania non constringitur legibus, gladium non habet

habet nisi spiritualem, quo non occidit, sed vivificat.

Casus in quibus peccatum committitur contra hoc praeceptum, ut de similibus possit sumi iudicium.

P R I M U S. Omnis occidens, mutilans, vulnerans, aut talia procurans, consentiens, aut aliquo modo, ex novem supra dictis concurrens, nisi fiat pro defensione modo iam posito.

Secundus. Qui deliberatè alicuius mortem exoptat, ut in officio, vel loco eius succedat. Non est tamen peccatum desiderare mortem alicuius pernitiosi, qui plurimum mali Reipubl. Christianae adfert, ut respubl. tali peste liberetur, ac pace fruatur.

Tertius. Qui sanus mente cum deliberatione ex passione, aut impatientia optat sibi mortem, aut membri mutilationem: Si quis autem desiderio caelestis beatitudinis captus, optat dissolvi & esse cum Christo, exemplo Pauli: vel ut liberetur ex hoc seculo nequam, ne Deum offendant: vel ne iniurias diuinæ Maiestati illatas videat, non peccat, imò huiusmodi sunt actus charitatis.

Quartus. Qui se tradit in periculum probabile vitae absque iusta causa, & urgente necessitate: vel est causa, quod alius simili periculo se exponat.

Z *Quin-*

Quintus. Qui vitam sibi abbreviat per opera indiscretionis, si animadvertat, aut animadvertere debeat: aut casu fortuito aliquem mutilat, percutit, aut occidit præter intentionem, si fuit in culpa, nec eam adhibuit diligentiam, quam debebat: Sic si quis percutiat mulierem gravidam peccat, si inde sequatur abortus: aut etiam ipsa mulier gravis, si impotunis operibus, aut inordinatis actibus casus sit etiam mortis infantis necdum nati. Sic medicus qui ex negligentia est causa mortis, aut quia adhibet nociua medicamenta: aut quæ valetudini contraria, non prohibet.

Sextus. His possumus addere matres, nutrices, vel alias personas, quæ in lectum secum infantem recipiunt tenellum, ne fleat, vel alia ex causa, & ex negligentia suffocant, vel ita constringunt, ut moriatur.

Septimus. Qui tenentur, & non remouent ea, ex quibus sequuntur homicidia: Sic homicidia imputantur dominis & officialibus, quando sinunt homicidas grassari, vel dissimulant non puniendo.

De Bello, & occisione, qua committitur in bello.

*3. Tho. 2. 2.
q. 40. art. 1.*

AD iustitiam belli tria requiruntur. Auctoritas principis, cuius mandato bellum gerendum est, Iusta bellandi causa, & Recta bellantium intentio.

No-

Nomine principis intelliguntur Papa, Imperator, Rex, Respublica, aut ciuitas, quæ alteri non subest, vel Dominus non habens superiorem.

Quæ ad iustitiã belli requirantur.

Causæ iustæ sunt defensio innocentium, iusta punitio nocentium, & rebellium, vindicta iniuriæ magnæ, aut repetitio iniustæ ablatorum.

Causæ belli iusti.

Intentio bellantium esse debet principalis, ut pax acquiratur, bonum Reipubl. promoveatur: aut malum euitetur.

Si in bello desint auctoritas principis, & causæ iustæ, nascitur obligatio restitutionis, si homicidia & damna committantur: quia tunc peccatum committitur contra iustitiam: Si autem recta intentio desideretur, peccatum tantum committitur, quia charitas Christiana læditur.

An milites teneantur examinare causam iustam belli?

QUANTUM ad principes, certissimum est, quod omni seposito humano affectu, tenentur examinare iustitiam causæ in consilijs antequam bellum indicant. Sed milites in duplici possunt esse genere, qui bellum sequuntur: aut subditi principis bellum gerentis: aut non.

Si constat cunctis causam belli esse iniustam, neque subditi, neque alij possunt sequi bellum:

Z 2

bellum:

bellum: quia magis obediendum Deo, quam hominibus. Si autem dubia causa belli cognoscatur. Milites subditi principi gerenti bellum, non tenentur examinare causam, sed ratione obedientiæ excusantur, capit. Quid excusatur. 23. quæst. 1. ex Augustino. In hoc autem casu milites conducti, non subditi, non possunt militare, si causa sit dubia: quia Dominus non habet potestatem eis præcipiendi, & ipsi non tenentur obedire. De hac materia legem Francisc. Victoria in relectione de iure belli, Syluester, Angelus, Caietanus, & alij in verb. Bellum. Et nos latius alijs in comment. cap. 8. quæst. 1. & 2. de iniurijs & damno dato.

Nunc tota materia belli per conclusiones resoluenda; quarum sit.

Prima Conclusio. In bello iusto licet omnia facere, quæ sunt necessaria ad defensionem boni publici: quia bonum publicum est finis belli.

Secunda. In bello iusto licet interficere directè nocentes, indirectè etiam innocentes. Interficiuntur indirectè innocentes, quando non cognoscuntur: vel sunt in ciuitatibus, & magnis tormentis tanguntur: quia aliàs bellum consistere non posset.

Tertia. In ipso actuali conflictu durante pugna, vel defensione, si bellum sit iustum, licet indifferenter omnes occidere contra pugnantem.

Quarta

Quarta. Nunquam licet per se, & ex intentione interficere innocentes. Exod. 23. Infontem & iustum non occides. Deut. 20. mandatur filiis Israël, vt cum vi ceperint ciuitatem, parcant mulieribus, & paruulis.

Quinta. Parta victoria, & rebus iam compositis, quando necessarium est ad vindicandam iniuriam, vel ad parandam pacem, & securitatem, licitum adhuc est interficere nocentes: hoc tamen non est licitum priuatis militibus, nisi fiat auctoritate principis, patet ex causis & sine belli.

Sexta. In bello iusto mobilia hostium bona sunt occupantium, & capientium. S. Thom. 2. 2. quæst. 66. artic. 8. ad 1. Adrian. in quæst. de reſtitut. in quæst. de bello. Sylueſter in verb. Bellum. §. 1. & 9.

Victoria in relectio. d. num. 5. Huic accedit, quod in iusto bello licitum est aliquando ad deterrendos hostes: vel ad accendendum militum animos, militibus ciuitatē dare in prædam. Sylueſt. loc. cit. §. 10. & Victoria. Nullo modo tamen militibus licitum est, sine auctoritate principis, cuius mandato bellum geritur prædas agere, aut incendia facere: quia cū non sint iudices, sed executores tantum, sententiam iudicis expectare debent.

Septima. Si bellum commodè geri potest absque ſpoliatione, & damno agricolarum, & aliorum innocentum, non licet eos ſpoliare.

Syluefter in verb. bellum. 1. §. 10. & Victoria
num. 40.

Octaua. In bello iusto licet aucupari ex bonis hostium expensas belli, & omnia damna iniuste ablata: quia ad omnia illa tenentur hostes, qui damna intulerunt.

Nona. In bellis iustis licitum est ut in insidijs modo non dicatur falsum, aut violetur promissum, sed occultentur consilia, & stratagemata ponantur. S. Thom. 2. 2. quæst. 40. art. 4. ex August. li. 83. qq. quæst. 10. sic dicente. Cum iustum bellum suscipitur: Vtrum aperte pugnet aliquis; an ex insidijs, nihil ad iustitiam interest. Iosue 8. Dominus mandauit, ut insidias poneret habitatoribus ciuitatis Hai.

His breuibus compræhensa est materia de bello.

*Quid sit
duellum.*

Ad bellum referre possumus duellum, quod est pugna duorum, siue singulare certamen, quando vnus indicit, & alter acceptat. Nec solum est duellum, quando vnus contra vnum, quamuis nomen huic conueniat, sed etiam quando tres contra tres, vel sex contra sex, &c. Duellum est grauissimum peccatum, ut patet capit. 2. de clerico pugnante in duello, & Concil. Trident. sess. 25. capit. 19. de reformat. Ponuntur autem duo casus, in quibus potest esse licitum. Primus quando Rex quispiam iustum habet belli causam, sed non est potens, ut valeat gerere bellum. Secundus quando aliquis falso

*Duellum
potest esse
licitum in*

falsò accusatus, se interimendum prouidet, *duobus ca-*
 vel iniuste aliquod membrum amputandum, *sibus.*
 nisi duellum acceptet. Caietan. 2. 2. quæst. 95.
 art. 8. Nauarr. in Manuali, & cap. 11. num. 39. &
 cap. 15. numer. 9. Qui duellum commiserint
 sunt excommunicati, & si in duello è viuis de-
 cesserint, perpetua carere debent sepultura, &
 puniri vt homicidæ. Alias similes graues pœ-
 nas Concilium Triden. loc. citat. decernit in
 tales.

CAPVT XIII.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Non machaberis.

MÆCHIA græcè, latinè dicitur adulteri-
 um. Prohibetur autem principaliter a-
 dultorium viri, quoniam vir est fortior ad re-
 sistendum, vt tradit Augustin. in lib. de adulte-
 rinis cõiugijs, debetque vxorem sua virtute
 vincere & exemplo regere. Alia est causa, vt
 refrenetur multorum virorum peruersitas,
 qui aliquando omni verecundia deposita for-
 nicantur, & de sua incontinentia gloriantur.

Prohibetur hoc præcepto nomine adulte- *Quid sub*
 rij, omnium consensu, omnis inordinatus & *adulterio*
 illicitus concubitus, tam quo ad actus exte- *prohibea-*
 tiores, quam interiores, de quibus supra di- *tur.*

Z 4 Etum

ctum de luxuria. Omnes actus perfecti & im-
perfecti luxuriæ tam interiores, vt cogitatio-
nes, & morosæ delectationes, quàm exte-
res, vt oscula, tactus, &c. & species perfectæ ve-
tantur, de quibus omnibus loco citato actum
proinde nihil hîc dicendum restat. Adulteri-
um autem hîc exprimitur: quia præter turpitudi-
nem, quæ ipsi cum alijs carnalibus & luxuriæ
speciebus communis est, iniustitiæ quoque
peccatum in proximum, & in ciuilem societa-
tem adiunctum habet.

CAPVT XIV.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

HOc præcepto nõ solû prohibetur furtû
specialiter dictû, s. dà fortiori, rapina, nec
solû rapina, sed etiã omnis iniusta acceptio rei
alterius, vel retentio, vel dâni illatio, vel usur-
patio rerum alienarû iniqua: aut etiam volun-
tas talia faciendi. Hinc cum huius præcepti
materia latissimè pateat: hoc ordine tractabi-
mus. In primis hoc capite generalia de furto
proponentur, & aliqua specialia. Deinde in se-
quentibus capitibus de restitutione agetur.
Tandem materia cõtractuum, quantum bre-
uis instructio patietur, perstringetur. In con-
tracti-

*Ordo &
materia
huius præ-
cepti bre-
uiter pro-
ponitur.*

tractib. enim multæ & magnæ iniustitiæ fraudes, doliq̄ue continentur, & occultantur.

Quid est furtum?

FURTUM in genere prout etiam rapinam comprehendit, est contrectatio rei alienæ dolosa, inuito suo domino, animo lucrandi, siue ipsius rei, siue vsus rei, siue possessionis. Furtum autem specialiter dictum, est occulta acceptio rei alienæ inuito Domino ex S. Tho.

2.2.q.66.art.3.

Rapina autem committitur, cum violentia ipso Domino sciente res auferatur & rapitur. Vnde grauius est peccatum. Nec ab hoc peccato excusantur magni domini, quando aliquid accipiunt à subditis ipsis, dominis inuitis videntibus, & non contradicentibus ex verecundia & timore, vt rectè sentiunt Angelus in verb. Furtum. §. 8. Aurea Armilla eodē verb. Syluest. ibid. quæst. 7. Nauarr. in Manu. cap. 17. num. 5.

Furtum aliter adhuc diuidi potest, pro varietate rerum, quæ iniuste auferuntur. Si quid priuatum priuato auferatur, furtum nuncupatur: Si homo liber, vt seruus abducatur, plagiatus; Si res sacra, vel aliquid ex loco sacro, sacrilegium; Si aliquid de grege surripiatur, Ablegatus. Si autem aliquid ex publico tollatur, peculatus nominatur: Quando autem vis inferitur, rapinæ nomen sortitur.

Z 5

Fur-

Furtum ex genere suo est mortale, ex accidenti potest esse veniale. Furtum ex suo genere est peccatum mortale, quia contra iustitiam & proximi bonum & est contra præceptum positum. Quando autem est de re minima, tantum est veniale, nisi animi intentio sit multum furandi, si posset, aut inueniret: aut nisi res modica fureta esset proximo causa magni damni: aut occulogentis scandali.

Qua quantitas rei in furto constituat mortale. Quantitas autem rei, quæ sufficit ad constituendum materiam peccati mortalis, metienda est arbitrio prudentis & timorati viri, tradunt Syluester in verb. Furtum. Ioann. Medina de Contractibus. quæst. 10. Couarr. lib. 1. variarum resolut. cap. 3. & alij alibi: quia in vna regione res est in maiori pretio, quam in alia, & parum accipere quandoque à pauperibus, ipsi multum, & diuiti parum est. Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 4. putat esse notabilem quantitatem ad constituendum mortale summam duorum regalium, vel vnius, aut etiam dimidij: Idem putat esse iudicium si quis furetur gallinam in regione, vbi diuenditur medio regali.

Quibus de causis furtum excusatur à mortali?

His præcipuè. *Primo*, ex paruitate rei. *Secundo*, ex præsentia domini consentientis & dissimulantis, nisi timor aut verecundia prohibeant, ne contradicat. *Tertio*, ex præsumptione probabili dominio nõ displicere, vel

vel rati habitatione eiusdem ex iusta causa. *Quarto*, quando procuratur negotium domini cū proposito restituendi, vt si quis emat à fure vilii pretio equum, vt vero domino restituat. *Quinto*, in extrema necessitate furari tam pro se, quam alio licet, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. & communem sententiam. *Sexto*, quando aliquis clam accipit propria sine scandalo, quæ per viam iustitiæ, aut alio modo repetere non potest. Innocent. in cap. Olim, de restitutione spoliatorum. Gloss. in cap. Ius gentiũ, d. 1. Nauarr. loc. cit. num. 5. §. Dominicus Sot. lib. 5. de iustit. & iure. quæst. 3. artic. 3. & alij alibi. Non tamen denuò repetere debet, imò si fieri potest, significandum est domino de satisfatione, secundum mentem S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 15.

De furtis circa inuenta.

RECTE enim dicitur 14. q. 5. cap. Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti, quia plus non inuenisti; ideo plus non rapuisti. Circa inuenta autem notandum, quod in triplici sunt differentia. Quædam nunquam habuerunt dominum, nec fuerunt in alicuius possessione. Quædam habuerunt dominum ante memorabile tempus, & iam pro derelictis habentur. Alia habuerunt dominum breui tempore, qualia sunt, quæ quotidie perduntur. In foro conscientie

Inuenta in triplici sũt differentia.

scientiæ eadem est ratio de eis, quæ nunquam habuerunt dominum, & alijs, quæ pro derelictis habentur: & huiusmodi omnia de lege communi, sunt inuentoris & accipientis. Thom. in quæst. d. artic. 5. ad 2. & Summista in verb. Inuenta, dictum de lege communi, quæ si alicubi in regnis aut locis speciales sunt leges, seruandæ sunt. Si quis autem inuenit de nouo perdita, quæ non habentur pro derelictis, & sibi retinet: nec reddit ei cuius sunt: vel non facit diligentiam, vt dominum inueniat, fur est secundum communem doctrinam, & patet ex d. canon. Si quid inuenisti. Quare non leges, sed rapinæ sunt in aliquibus locis, ubi statuitur quod bona naufragantium, vel furto ablata pertineant ad dominum terræ, vt communiter Doctores sentiunt. Quando autem aliquis inuenit bona perdita, & post diligentem inquisitionem non reperit dominum, tunc talia sunt danda pauperibus. At si inuentor sit pauper, poterit cum consilio confessorij sibi reseruare. Feræ autem, & aues in alieno laqueo inuentæ, de lege sunt inuentoris & accipientis. ff. de acquirendo rerum dominio. l. Laqueum. §. Illud quæsitum; nisi alibi sit consuetudo, quæ adiudicet ei, qui laqueum posuit, vt sentit Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 10.

Quid secundum leges dicentur

De thesauris, seruandæ sunt leges. Si quis inueniat thesaurum in proprio loco, totus erit inuentoris: Si in alieno, sed casu, pro media parte

parte est inuentoris, & pro alia domini fundi.

Si autem data opera in alieno fundo cum consensu domini, utpote quia ipse non vult facere in quærendo expensas, totus est inuentoris: Si autem quærit contra voluntatem domini, totus est domini fundi. Eadem est ratio, quando quis scit in aliquo fundo thesaurum, & dolose emit: Si autem bona fide emeret, nec quicquam sciret de thesauro, tunc suus esset cum fundo. Qui autem reperit thesaurum in loco publico, aut sacro, debet eum diuidere cum illo, cuius est locus. Vide de his in institut. de rerum diuif. §. thesauros, & l. vnica. C. de thesaur.

*dum de in-
uentione
thesauro-
rum.*

*De furto falsificantium monetas, pondera,
& mensuras.*

MONETA quatuor modis potest falsificari, c. Quando, de iureiurando, & DD. ibid. t. in materia, si non cudatur in materia debita; ut si pro argento alia materia adhibeatur. 2. in quantitate ponderis; ut si non sit iustum pondus. 3. in forma, si non sit publica. 4. si scribatur nomen alterius, & non cudatur ab eo, qui habet potestatem: pro resolutione.

*Quot mo-
dis moneta
falsifice-
tur?*

Prima Conclusio. Qui falsificat monetam tantum in forma, aut cudit sine autoritate, mortaliter peccat, non tamen tenetur ad ullam restitutionem, quia non sequitur damnum Reipubl. Qui vero falsificat, in substantia, vel pon-

pondere, peccat, & etiam tenetur ad restitutionem damni deceptis, & Reipub. vt tradunt communiter DD. in d. cap. Quanto. & Summistæ in verb. Falsarius.

Secunda. Qui auctoritate priuata circumdunt, aut radunt pecunias, aut aquis quibusdam acribus attenuant, mortaliter agunt, cum obligatione restituendi. Gloss. ab omnibus recepta in cap. Quando. Eiusdem culpæ reus efficitur, qui monetam falsam recipit siue per errorem, siue per scientiam, & postmodum sciens esse falsam, expendit: vel maioris affirmat, in expositione, quam valeat: Si quis tamen ignorat se deceptum, & bona fide exponit pro iusta moneta, non peccat, certior tamen deinde factus de falsitate, tenetur resarcire damnum læso.

Tertia. Eadem est ratio falsificantium pondera, & mensuras, vel falsificatis vtentium: tales enim peccant, & tenentur ad restitutionem læsis: ex cap. 2. de emption. & vendit. & communi sententia.

CAPVT XV.

DE RESTITVTIONE

in genere.

QVONIAM restitutionis cognitio multum necessaria est confessario, in primis quæ-

quædam principia pro introductione sequentium præmittenda sunt.

De materia hac legendi S. Thom. 2.2. q. 62. S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 2. Summistæ in verb. Restitutio. Dominic. Sotus lib. 4. de iustitia & iure. q. 9. & 8. Ioan. Medina in C. de rebus restituendis. Nauarr. in Manuall Confessoriorum. cap. 17. à num. 12. & alij Theologi in 4. sentent. d. 15.

In primis cum restitutio sit actus iustitiæ, sciendum quid sit iustitia, & quotuplex.

Iustitia est virtus reddens vnique, quod suum est. Non enim loquimur de iustitia generali, quæ in se omnes virtutes complectitur, sed de ea, quæ est in ordine ad alterum. Cuius materia proxima, sunt actiones erga alios, quas moderatur & iustas facit.

Remotior, res quas reddit, Remotissima, personæ, quibus redditur.

Iustitia diuiditur in particularē, & vniuersalem, quam alij legalem vocant. Particularis est, quæ particulares personas concernit. Le-galis verò, quæ circa totam rempub. versatur.

Particularis huius instituti est, & diuiditur in commutatiuam, & distributiuiam.

Commutatiua est, quæ in contractibus & commutationibus constituit æqualitatem rei ad rem, seruata proportione, vt dicunt Arithmetici, exempli gratia, si merx valeat quatuor florenis, soluam quatuor. Si emi sex florenis bouem,

Restitutio est actus iustitiæ. Quid iustitia sit.

Iustitia diuiditur in particularē, & vniuersalem.

Particularis iterum in commutatiuam, & distributiuiam subdiuiditur.

bouem, sex solutam; si furatus tres batzios, totidem restituam.

Distributiua est, quæ in distribuendis bonis communibus seruat æqualitatem rerum ad personas, & personarum dignitatē, ac merita secundum proportionem Geometricam. In hac non seruatur æqualitas rei ad rem, sed rei & proportionis, quæ est in persona ad rem, exempli gratia, vacat beneficium conferendum, consideratur beneficium, & deinde meritum personæ: an proportio respectu dignitatis in scientia & virtutē sit, in ordine ad tale beneficium. Pro clariori cognitione aduertendum, quod æqualitas est duplex. Arithmetica & Geometrica.

Aequalitas duplex, Arithmetica, & Geometrica. Arithmetica est numeri ad numerum, ut trium ad tria, 4. ad 4. exempli gratia: accipiam tria, totidem reddam, & hæc est iustitia: Si dero unum, fit inæqualitas Arithmetica, & violatur iustitia commutatiua. Geometrica æqualitas siue proportio est collatio non numeri ad numerum, sed proportionum inter se, ex. gr. est beneficium Ecclesiasticum conferendum, quod habet in redditibus 100. aureos, & mediocre onus, & aliud quod habet 200. & grauius obsequium: duo concurrunt, vni mediocris dignitatis, alter maioris: tunc digniori melius conferendum: quia maior est proportio, respectu maioris meriti: Sic etiam in distributione onerum Reipubl. Qui plura habet

habet, magis grauandus: Qui minus, minus: Quando lēditur iustitia distributiua, committitur acceptio personarum, quæ consistit in hoc, quod quando quis ex officio, vel debito *Quomodo committatur acceptio personarum.*

tendit causam, & finem talis distributionis, sed aliam conditionem non congruentem, aut saltem impertinentem ad rem distribuendam in persona, iuxta doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 1. & Caietan. ibidem: Exempli gratia, aliquis in electione ad dignitatem, dat alicui consanguineo suam vocem, non quia secundum merita dignior, & utilior Ecclesiæ, sed quia sanguine sibi iunctus. Ex dictis constat in eis, quæ gratis dantur non esse locum acceptio personarum: Sic in Deum non cadit: quia non ex iustitia, sed gratia sua nobis largitur bona.

In Deū non cadit acceptio personarum.

Rom. 2. Actor. 10.

Committitur hoc peccatum tam in prouisionibus beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum, quàm in distributionibus commodorum & onerum, atque etiam officiorū ciuilibus Reibul. & cum sit contra iustitiam distributiua, inducitur obligatio restitutionis: quando damna sequuntur, vt in beneficiorum collatione, aut electione ad dignitates contingit, grauissimum est peccatum: nunc de iustitia commutatiua.

Actus iustitiæ commutatiuæ præcipui sunt duo. Primus æqualitatem efficere. Secundus *Qui sint actus iustitiæ.*

Aa

ina-

*tia commu-
tatiua.*

*Vnde resti-
tutio dica-
tur.*

*Restitutio
rei alienæ
est de ne-
cessitate
salutis.*

*Non potest
absolui in
confessione
qui tenet
alienū in-
uito domi-
no, si resti-
tuere nolit
cum possit.*

inæqualitatem factam reducere ad æquali-
tem, siue inæquale facere æquale; & sic resti-
tutio est actus commutatiuæ iustitiæ: qua red-
ditur, quod iniuste possidetur, aut possessum
est, & sic inæquale fit æquale, vt tradit S. Tho-
mas loc. cit. q. 62. art. 11. Dicitur enim restituo,
eo quod iterum statuat alterum in posses-
sionem, aut ius suum.

Deinde restituere alienum est de necessi-
tate salutis, ita vt quicumque rem alterius ini-
uste detinet, aut diutius, quam debet cõtra do-
mini voluntatem, sit in statu damnationis, ni-
si restituat. Retentio enim alienæ rei inuito
Domino furtum est, & prohibetur præcepto
Non furaberis: Hinc illud Augusti. in Epist.
54. ad Macedonium, quod refertur 14. q. 6.
can. Si res aliena, propter quam peccatum est,
reddi possit, & non redditur: pœnitentia non
agitur, sed simulatur: Si autem veraciter agi-
tur, non remittitur peccatum, nisi restituatur
ablatum. Ex hoc fundamento sequitur, Con-
fessarium non posse confitentem absolvere,
qui aliena tenet, vel abstulit, aut damnum in-
tulit, si non vult restituere cum possit; qui
non est contritus, cum velit perseverare in
statu peccati.

Pro regula in hoc loco notandum. Quod
necessitas restituendi oritur quotiescunque
aliquis peccat contra iustitiam particularem,
ita vt sequatur damnum proximo siue in cor-
pora-

poralibus, siue in temporalibus: vt in vita, mē-
brorum priuatione, fama, honore, pecunia,
aut rebus quæ pecunia æstimari possunt. Non
autem ex transgressione præceptorum chari-
tatis, vt tradunt Alexander Halens. 4. part. q.
87. Adrian. in 4. de restitutione q. 1. Sotus lib.
4. de iustit. & iure. q. 7. art. 3. & lib. 5. q. 3. art. 4.
Nauarr. in Apologia de redditibus Ecclesiasti-
cis, q. 2. monitione 2. & 7. & in Manuali con-
fessariorum cap. 17. num. 11. & alij alibi.

*Ex trans-
gressione
præcepti
charitatis
non oritur
obligatio
restitutio-
nis.*

Omnis restitutionis obligatio nascitur vel Restitutio
ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ accep-
tionis. Quotiescunque autem restitutio faci-
enda est, si non potest fieri in re eadem nume-
ro, vel genere, aut specie, fieri debet in valore
æquiualeuti, ex. gr. qui iniustè alterum mem-
bro priuauit, cum hoc reddere non possit, de-
bet ei recompensare in pecunia, vel alijs ad ar-
bitrium boni viri, iuxta S. Tho. q. 62. art. 2. ad 1.

*quando nõ
potest fieri
in eadẽ re
necesse est
vt fiat in
æquiualeu-
ti.*

Postremò non laboret confessarius tanta
ignorantia, vt existimet confitentem liberari
à restitutione facienda per hoc, quod absolui-
tur à peccatis, & pœnitentia in satisfactio-
nem imponitur. Aliud enim est satisfactio
sacramentalis, & aliud restitutio. Satisfa-
ctio à confessario imponitur ratione culpæ,
& spectat ad vindicatiuam iustitiam. Resti-
tutio verò ex retentione rei alienæ, vel iniu-
sta damni illatione sequitur, & est actus iusti-
tiae ne.

*Confitens
non libera-
tur à resti-
tutione ne-
cessaria,
per hoc,
quod ei im-
ponitur pœ-
nitentia pro
satisfactio-
tiae ne.*

tia specialis, vt supra declaratum est, cuius rei
admonuimus etiam de satisfatione in 1. par.
cap. 13.

CAPVT XVI.

QUIS TENEATUR restituere?

NON modo qui aliena rapuerunt, sed etiam
qui iniustæ acceptionis aliquo modo con-
sa fuerunt, tenentur ad restitutionem. Modi
autem quibus aliquis potest esse causa iniustæ
acceptionis, his versibus continentur.

*Restituat capiens aliena, eiusq; minister,
Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*

Participans, mutus, non obstant, non manifestus.

I. Capiens aliena, id est, qui per se capit, vel
rapit, vel iniustè damnum infert; Si autem
multi cocurrant ad vnum & eundem effectum,
vt ad vnum furtum, vel prædam, aut incendium,
&c. Omnes tenentur in solidum, si sibi in-
uicem sunt causa, & quasi vna causa; tamen si
vnus restituat, alij non tenentur, sed ad refun-
dendum restituenti obligantur pro sua quo-
ta. Alia autem ratio est, quando plures acci-
dentaliter concurrunt, v. g. ad spoliationem
templi, id est, ita concurrunt, quod nullus al-
teri sit causa, sed quasi ex euentu, & accidenti

con.

conueniunt in loco ad eundem effectum, tunc quisque solum pro sua quota tenetur restituere damnū passo: Itaque qui multum accepit, multum debet restituere, qui parum; parum.

2. Cipientis minister, qui est instrumentū executionis ex motu, aut auctoritate principalis agentis: Sic ad restitutionem tenetur minister vsurarij, qui ex mandato sui domini vsurarios contractus facit; aut vsuras extorquet: Aut famulus domini committentis iniustam alicuius sibi necem.

3. Iussio, id est iubens, aut præcipiens, quando ex iussione, vel præcepto sequitur damnū proximi: Aut quando ratum habendo, quod ipse nomine gestum est, impedit restitutionem.

4. Consilium, id est, Qui consilio suo est causa' efficax iniustæ acceptionis, vel damni: quod etiam locum habet, quando aliquis per ignorantiam culpabilem est causa damni proximi: Sic aduocati, procuratores, aut consiliarij Principum, grauissimè quandoque possunt peccare, & obligantur ad grauissimorum damnorum restitutionem, quando ex eorum malis consilijs, aut imperitijs, partibus, vel Reipubl. aut Ecclesiæ, magnum damnum oritur: Sic etiam Confessarij obligantur ad restitutionem, si ex ignorantia culpabili & crassa, absoluunt aliquem detinentem alienum, & non obligant ad restitutionem, quam aliàs faceret,

si ei absolutio negaretur: aut restitutio proponeretur. Rosella verb. Restitutio 2. §. 5. Angelus verb. Restitutio 4. §. 5. Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 22.

5. Consensus. Qui consentit ita, ut sine suo consensu non sequeretur effectus: Sic non solum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur, qui sunt in consilio, aut tractatibus, quando aliquid tractatur, unde sequitur damnum alijs, si non contradicant. Quia qui tenetur loqui & tacet, consentire videtur, ut rectè Angelus verb. Consensus. §. 2. probat.

6. Palpo, id est, laudator, vel adulator, quando sua laude, vel adulatione est causa, vel concausa damni.

7. Recursus, id est, Qui scienter, aut scire debens recipit & acceptat fures, vel præstat eis patrocinium, vel eorum bona in ædibus custodit, dictum sciens, quia si quis eos recipiat tanquam alios hospites, putans homines esse probos, non peccat.

8. Participans, id est, qui est mediator, vel socius in furto, vel participat in rebus furto, rapina, aut alia quacunque via iniuste ablati.

9. Mutus, id est, qui potest & debet loqui manifestando, mandando, consulendo, vel prohibendo, & tacet, tenetur de damno secuto. Quod intelligendum de eo, qui tenetur ratione officij, aut obligationis iustitiæ.

10. Non

10. Non obftans, id est, non impediens
 damnum proximi, quando potest & tenetur.
 Hoc concernit eos, qui ex officio tenentur
 tueri iustitiam, & amouere damna Reipub.

11. Non manifestans, id est, qui non mani-
 festat inuasorem iniustæ actionis, quando po-
 test & tenetur. Sic tenentur ad restitutionem
 damni custodes vinearum, sylvarum, agrorum,
 & aliarum verum, quando ex dissimulatione
 eorum proximus patitur damnum.

Postremò, circa prædictos modos aduerte,
 quòd quando secutum est damnum, quilibet
 tenetur in solidum restituere, id est, totum
 damnum, cuius fuit causa, vel cooperator, si-
 ue sit pars, siue totum: Si verò socij restituant
 pro sua quota, vel principalis in solidum, tunc
 alius non tenetur, nisi ad refusionem suæ par-
 tis: Si quis verò ita principalis extitisset in
 damno dando, quod omnino reliquos indux-
 isset si ipse totum restituat: reliqui ad nihil te-
 nentur. De his nouem modis vide S. Thom.
 q. d. art. 7. Sotum lib. 4. q. 7. art. 3. Nauarr. cap.
 7. à num. 18. in Manuali. Summistas in verb.
 Restitutio.

*Ad clariorem superiorum intelligentiam mouen-
 da aliqua difficultates.*

*PRIMA, AN QUI REM EMIT
à fure, vel à ratione habet, quam fur
furatus est, teneatur restituere
vero Domino?*

CAs vs frequens est, & pro resolutione di-
stinguendum. Emens rem, scilicet equum
vel aliud quidpiam triplici modo se habere
potest. Aut mala fide, ita vt verisimiliter cre-
dat equum esse furatum, ex signis sufficienti-
bus. Aut bona fide, ignorans rem esse alterius.
Aut dubitando. Deinde quādo quis emit mala
fide, adhuc dupliciter fieri potuit, aut bona in-
tentione; vt agat negotium veri domini vili
pretio emendo, vt restituat ei: aut mala inten-
tione, vt sibi retineat propriumque lucrum
quærat.

Pro resolutione sit.

PRI^MA *Consilio.* Si quis mala fide, & sinistra
intentione, rem alterius à fure emit, tene-
tur restituere vero domino, siue habeat, siue
non: Si non eandem rem potest, tenetur in
pretio. Est communis DD. sententia. l. 2. ff. de
furtis. & 12. quæst. 2. capit. Vulteranæ cū Glo-
sa recepta, S. Thom. in q. d. art. 6. Soti libr. 4.
quæst. 7. art. 2. de iustit. & iure. Ioan. Medina
C. de rebus restituendis. quæst. 10. Nauarr. in
Manuali cap. 17. num. 10. & aliorum alibi. Nec
talis poterit pretium repetere à vero domino.
lin

lin civile. C. de furtis, & est communis sententia: Nec in hoc casu ignorantia iuris excusat, quia hæc prohibitio à iure naturali originè traxit, cuius ignorantia neminem excusat, vt Angelus respondet verb. Restitutio 1. §. 2. Ex his infertur si quis inuitatus à fure, aut prædone ad conuiuium, vbi consummuntur iniuste ablata, tenetur ad restitutionem illius partis, quam consumit. Quod notandum pro eis, qui hoc tempore bella sequuntur.

Secunda Conclusio. Qui rem à fure emit in utilitatem veri domini, vt ei restituat, potest repetere pretium, & dominus tenetur ei reddere cum moderatis expensis, si quas fecit, patet, 14. q. 5. cap. Rapinam emere non licet, nisi ea intentione vt domino restituatur, Angelus, Syluester, Caietan. Aurea Armilla in verb. Restitutio & alij alibi. In foro tamen exteriori nõ creditur tali emptori, nisi publicè protestatus fuisset, quod ea intentione emeret, vt negotiũ veri domini ageret.

Tertia Conclusio. Qui bona fide rem alterius emit, id est, non credens esse furatam, aut alienam, si rem alienauit durante bona fide, nõ tenetur ad vllam restitutionem, nisi in aliquo factus sit ditior, vel si aliquod lucrum acquisiuit. Ex hac radice sequitur, si quis equum à raptore dono accepit, quem rapuit, si diuendit, tenetur ad totius pretij restitutionem; quia in illo factus est ditior.

Quarta Conclusio. Qui rem bona fide à fure aut iniusto possessore emit, si penes eum adhuc sit, certior factus de vero domino tenetur ad restitutionem, nec potest pretium repetere à domino. l. Mater, & l. Si Mancipium. C. de rei vendicat. Certior tamen factus, quod res aliena sit, potest venditori reddere, & suam pecuniam repetere, vt sentiunt Angel. verb. Restitutio r. Gabriel. in 4. d. 15. quasi. 3. dub. 5. Alexand. Halens. 4. part. q. 86. memb. 3. Nauas. loc. cit. num. 9. & quomocunque restituerit vero domino, venditor tenetur ei ad pretium, cap. final. de empt. & vendit.

Quinta Conclusio. Quando aliquis dubie fide rem alienam emit in vtilitatem proprii domini, animo restituendi non peccat, sed opus charitatis facit, debet tamen aliquam diligentiam facere, vt proprium dominum inueniat, facta diligentia, si dominus non inueniatur potest rem vendere, tenetur tamē emptorem admonere de hoc: Quod si non facit, tenetur ad damna, si emens aliqua incurrat ex hoc, aliàs fraude præsumitur vendidisse.

Qualis debeat esse culpa ad hoc, vt aliquis teneatur ad restitutionem ratione iniuste damnificationis, id est, quia alteri iniuste damnum intulit.

CULPAM aliquis dupliciter potest incur-
rere

rere dolo, & studio, & sine industria & consideratione. Dolo, utpote cum quis studiosè facit ad decipiendum alium, & sic si fiat verbis dicitur fallacia; Si in rebus fraus. Culpa autem simplex est; quando aliquis sine consideratione, vel intentione infert damnum: & est triplex. Lata, Leuis, & Leuissima.

Lata, quæ solet communiter vitari ab hominibus eiusdè professionis, & ordinis. *Culpa triplex, lata, leuis, & leuissima.* Quæ est eius qui extra domum in aliquo scamno librum sibi accommodatum reliquit & leuissima, perdidit.

Leuis, quam communiter homines diligentes eiusdem ordinis euitant, ut si quis librū in cubiculo relinquat ostio tamen aperto.

Leuissima, quam homines diligentissimi eiusdem professionis vitare solent. De hac materia latius in Rubr. de iniur. & damnato 2. part. notab. 5. & 9.

Prima Conclusio. In foro exteriori quicumque infert damna vel per se, vel per alios, aut etiam per animalia, siue sit in culpa, siue non, tenetur ad restitutionem damnorum. ff. ad legem Aquilianam. l. in lege Aquilia, & extra de iniurijs & damno dato, cap. Si bos, & cap. Si læserit.

Secunda. Qui damnum alicui infert ex intentione & dolo, quomodocunque hoc fecerit, tenetur ad restitutionem in conscientia; quia

quia est voluntaria causa, vt proximus damnum
 patiatur. Similis est ratio, si quis ex culpa lata
 aut directè alteri damnum inferat, etiam si so-
 lum venialiter peccet, capit. vlt. de iniurijs. Pe-
 normitan. & alij ibidem. & cap. Si egressus, eo-
 dem titulo. Si quis autè indirectè alteri dan-
 num inferat, non tenetur, nisi sit in culpa lata.
 Ex his inferitur eos dominos temporales non
 solum peccare grauissimè, sed etiam obligatos
 esse ad restitutionem damnorum in vtroque
 foro, qui feras alunt in terris suis, ita sibi ap-
 propriando: quod nullus sine maxima pena
 potest eas occidere; quia rustici non coguntur
 de nocte custodire agros suos cum tanto in-
 commodo, sed dominus, qui sibi feras appro-
 priat, tenetur ne sua animalia alijs dama-
 ferant, providere. De hac materia legendi Ca-
 nonistæ in capit. vlt. de iniurijs. Summistæ in
 verb. Culpa, & Restitutio. Nauarr. in Manua-
 licap. 17. à num. 177.

Tertia. Cum alia sit ratio casus fortuiti, re-
 gulariter nemo tenetur de damno, quod casu
 fortuito contingit, nisi sit in culpa, ratione
 moræ: vel pactum præcesserit de soluendo in
 omnem euentum.

*Quomodo quis tenetur de damno, quando res iussu
 ipsius peruenit, vt contingit in locato, accom-
 modato, deposito, &c.*

NOTANDVM differentiam esse inter
 con-

contractus, in quibus transfertur dominium, ut sunt mutuum, donatio, &c. & eos in quibus dominium non transfertur, ut accommodatum, locatum, depositum, &c.

Mutuum est, in quo transfertur dominium, non solum usus, sed etiam substantia rei, & contingit in rebus, quæ usu consumuntur, ut sunt pecunia numerata, panis, triticum, vinum, oleum, &c.

Commodatum est, in quo conceditur usus rei, quæ non consumitur usu: ut sunt equus, liber, mensa, &c.

Locatum, quo conceditur usus rei non usu consumptibilis pro pretio: ut domus, & equus, quando pro pecunia ad tempus locato datur.

Precarium, quo precibus petentis, conceditur res tam diu, quam diu is qui concessit, vult, & id gratis.

Depositum, quo sola custodia rei alteri committitur.

Pignus, quo creditori debitor in cautionem obligatur, de his speciales tituli habentur in iure, & Summistæ agunt in suis verbis. De quaestione huius materiae exactius tractauimus in comment. de iniurijs. cap. 9. q. 13.

De Mutuo.

IN mutuo mutuarius semper tenetur restituere, quomodocunque res pereat, quia in hoc contractu transfertur dominium, &
res

res si pereat, perit illi, cuius est, nisi alius casum damni dederit.

De Commodato.

COMMODATARIUS, quando in suam utilitatem accommodatum est aliquid, tenetur etiam in culpa leuissima ad restitutionem. cap. I. de Commodato: Si autem est in utilitatem commodantis, non tenetur nisi de culpa lata, siue graui, aut dolo, l. si vt certo. ff. de commodato, & d. cap. vnico eod. tit. Si vero res pereat apud commodatarium sine sua culpa, non tenetur ad vllam restitutionem, nisi viatur in alium vsum, quam res accomdata est, vt sentiunt DD. in d. cap. vnico de commodat. Quando accommodatum est in utilitatem vtriusque commodantis & commodatarij, Commodatarius tantum tenetur in culpa graui, aut leui. Glossa recepta in in l. Si vt certo, de Commodato, §. Interdum: Hinc si quis habeat aliquid commodato, & remittat per nuncium habitum communiter pro probro & fideli, si res in missione pereat, non tenetur ad aliam restitutionem: Secus autem si per leuem & infideli. Eadem est ratio de mittente pignus, depositum, &c.

*Quando
commoda-
tarius te-
neatur de
casu for-
tuito.*

Commodatarius autem in tribus casibus tenetur in casu fortuito. De quibus Panorm. in d. cap. vnico. Summistæ in verb. Commodatum. Nauarr. in Manuali, cap. 17. num. 179.

Prima

Primus, si culpa præcessit, vt commodauit alicui equum, vt proficisceretur Lutzenburgū, ipse autem profectus Leodium incidit in prædones, & spoliatus est. Secundus, quando pactum præcessit, vt commodatarius teneatur in omnem euentum. Tertius quando mora præcessit, & tempus, quo restituere tenebatur, elapsum est, ex. gr. commodauit alicui equum vsque in diem quartum, & ipse vititur ad 8. & veniunt milites auferunt ei, tunc tenetur restituere.

Postremò accommodans alicui aliquid vitiosum, si non dicat ei vitium & sequatur aliquid damnum, tenetur ad restitutionem. Glossa in d. cap. vnico: Si autem vitium significauerit, ad nihilum tenetur.

De Locato.

CONDUCTOR siue locator de re conducta tenetur, si pereat dolo, vel culpa graui, aut leui, non autem leuissima: quia in gratiam vtriusque cedit: Sic communior opinio docet; Si tamen tale aliquid esset, quod ex natura sua pro conseruatione requireret diligentissimam curam, teneretur de culpa leuissima. l. si merces. §. qui columnam. ff. de locato. Si etiam quis locet rem vitiosam pro bona scienter, tenetur conductori de damno. Secus autem, quando simpliciter locauit, credendo quod bona esset.

De Deposito.

DEPOSITARIUS, qui non amittit, vel perdit depositum dolo, & culpa lata non tenetur ad restitutionem. l. i. §. ult. de deposito. extra cap. Bona fides eod. tit. Culpa autem nunquam habetur pro lata in deposito, quando eo modo, quo propriam substantiam conseruat: Si autem negligens sit in conseruatione rerum suarum, in depositis debet esse diligenter aliter est in culpa. Si autem accipit aliquid pro custodienda re deposita, si res perit, vel deterior redditur, tenetur tantum de leui culpa.

De Pignore & Precario.

QUANDO pignus perijt, aut deterior fit apud retinentem ex dolo, culpa graui, & leui, tenetur ad restitutionem & reparationem damni, vt notant Glossa in l. si creator, C. de pignoribus. Angelus verb. pignus. §. 16. & alij.

In precario autem aliquis solum tenetur de dolo & lata culpa, & non de leui, vt docet P. normitanus in ca. finali de precario: quia precarium pendet à mera liberalitate, & dominus poterit reuocare, quando-
cunque voluerit.

(:o:)

CAPVT XVII.

QVID RESTITVENDVM
& quantum?

SECUNDVM Doctores quatuor sunt genera *Quatuor*
bonorum, in quæ potest cadere restitutio. *sunt genē-*
Bona animæ, vt sunt virtutes tam infusæ, quæ *ra bonorū*
morales. Corporis; vt vita; sanitas, &c. Hono- *in que re-*
ris ac famæ: nec non etiam fortunæ: vt sunt *stitutio ca-*
pecuniæ, aliæque res necessariæ ad hominis *dere potest.*
conseruationē. De his S. Antonin. 2. part. tit.
2. Ioan. à Turrecrem. 14. q. 6. cap. Si res. Palu-
dan. in 4. d. 15. q. 2. Scot. ibid. q. 3. Gabr. in ead.
d. 2. notab. 3. Adrian. in 4. de restitut.

De Restitutione Spiritualium.

QVAMVIS directè non possit homini no-
umentum inferri in bonis animæ, cum
ita sint spiritualia sicut ipsa anima, & voluntas
non possit cogi, tamen indirectè consilio, in-
ductione, doctrina, maloque exemplo, potest
quis lædere proximum in spiritualibus, & re-
trahere à bono, vt religione, vel via iustitiæ,
tunc obligatur, vt etiam medijs spiritualibus
prout potest, reducat ad eundem statum, id-
que per se, vel alios. Non desunt tamen haud
inferioris notæ Doctores, qui censent, quod si
quis retraxit professum à religione, si nõ pos-

B b fit

fit eundem reducere, quod seducens teneatur ingredi loco illius.

De bonis corporis.

QVI alterum lædit in bonis corporis, ut occidendo, mutilando, aut infirmitatem inducendo, tenetur læso ad restitutionem omnium damnorum, quæ sequuntur, ut communis sententia DD. est, & constat ex cap. 1. de iniurijs. Vnde qui alium occidit, tenetur hæredibus de damno illato. Cum autem omnia in particularibus casibus non possint defini, in censura casus occurrentis, qualitas personæ occisæ, ætas, lucrum quod acquirebat, item quot personas ex debito iustitiæ alere tenebatur, aliæque circumstantiæ, pro arbitrio prudentis & boni viri considerandæ sunt, & his consideratis, quantitas rei restituendæ metienda. Ex his sequitur quod etiam Ioan. Maior in 4. d. 15. quæst. 19. tradit posse contingere, ut qui sutorem, vel alium artificem occidit, ad maiorem teneatur restitutionem, quàm si nobilem occidisset. De hac restitutione late Turrecrem. in d. cap. Si res. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 15. Adrian. in 4. de restitut. q. fin. Sorus lib. 4. de iustit. & iure. q. 6. art. 3. & nos latissime in comment. d. cap. 1. de iniurijs. quæst. 3. & seq.

De bonis fama & honoris.

QVI iniuste aliquem in fama & honore lædit,

læsit, tenetur ad restitutionem, quia contra iustitiam peccauit. Est communis doctrina. Sed ad hoc, ut quis teneatur, tres conditiones requiruntur. *Prima*, ut verè famam abstulerit. *Secunda*, ut auferatur fama in rei veritate contra iustitiam. *Tertia*, ut infamatus non iterum recuperauerit famam. Si etiam ex iniusta famæ læsione alia damna sequantur, infamans tenetur ad restitutionem eorum, quia dans causam damni, damnum dedisse dicitur.

Quis modus restituendi famam?

QUod si famam alicuius mentiendo læsit imponendo alteri falsum crimen, quod non fecit, tenetur restituere confitendo se falsum dixisse: vel mentitum esse, & si hoc non sufficit debet adhibere iuramentum: Si autem persona illustis infamasset hominem infimæ conditionis, non teneretur famam restituere cum damno propriæ famæ, obligaretur tamen in aliquo æquivalenti recompensare. Quando autem aliquis alium infamauit verum crimen, sed occultum detegendo contra ordinem iustitiæ, debet dicere se malè dixisse: vel iniustè defamasse, vel laudare à veris virtutibus, quas habet ille, cui famam abstulit, apud eos coram quibus infamauit: quia in hoc casu non potest dicere se mentitum,

Bb 2 aut

Sorus lib.
4. de in-
sticia &
inte. q. 6.
art. 4.

aut falsum dixisse, ne peccatum peccato ad-
dat. Quando autem fama restitui non potest,
debet recompensari in pecunia, aut æquiva-
lenti ad arbitrium boni viri, quamquam id fiat
cum proprio damno, quia restitutio est de ne-
cessitate salutis.

*De restitutione bonorum temporalium,
sive fortune.*

Res aliena restituenda est in propria specie
si potest haberi, aliàs in æquivalenti re-
compensanda sunt etiam damna, si quæ se-
quuntur rem iniuste ablatam, lucrum cessans,
damnum emergens, fructus, si res fructifera
sit, & alia emolumenta, & hæc reducenda ad
æqualitatem arbitrio prudentis & timorati
viri.

Hic aliqua dubia breuiter sunt resoluenda.

*Primum. An defraudata vectigalia & tribu-
ta, &c. sint restituenda?*

CIRCA hoc dubium præmittendum, quod
omnibus notissimum est; Reges, Impe-
ratores, Principes, aliosque non recognoscen-
tes superiores, posse huiusmodi imponere ius-
tis de causis, vt pro expensis faciendis in iusto
bello, pro redemptione Domini in bello, pro
salute subditorum capti, pro vtilitate publica,
pro sustentatione honesta Principis, pro elo-
catio.

ratione filiarum principis, aut alia simili iusta causa, quæ referri debet in utilitatem reipublicæ. & non priuatum commodum; nunc pro resolutione.

Quicumque defraudat iusta vectigalia, & non soluit, tenetur ad restitutionem; quia sunt redditus principum, & reipublicæ. & sunt soluenda secundum Euangelium. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal. Quando autem principes vectigalia, pedagia, & alia onera à transeuntibus, aut subditis capiunt, & non faciunt sufficientem diligentiam, ut subditi vel alij sint securi in vijs, aut defendantur ab iniurijs, tenentur ad restitutionem damnorum, si quæ subditi, aut alij iniuste patiantur. Si autem euidenter constet onera predicta iniuste imposita esse, utpote à non habente potestatem, vel sine vlla urgente causa, si quis non soluat, ad nihil tenetur.

Matth. 22.
Luce. 20.
Rom. 13.

Secundum dubium. *An clam capta in venatione sint restituenda?*

DE hac materia legedi Couarruias in regula peccatum part. 2. §. 8. Sotus de iustitia & iure libr. 4. q. 6. art. 4. Medina C. de rebus restituendis, q. 12. Nauarr. in Manuali cap. 17. à num. 120. Summistæ in verb. Venatio. & nos alijs latius in d. commentar. de iniurijs. cap. 4. quæst. 4.

De iure naturæ, feræ sunt communes, &

Bb 3 vena-

venatio licita est, redditur autem illicita, si fiat cum damno alterius : vt discurrendo per agros, segetes, &c. Aut cum periculo propria, aut alienæ vitæ : aut indebito tempore; aut fuit à quibus non debet : Possunt etiam iusti de causis Domini prohibere venationem alijs. Quando autem strictissimè prohibent, & sibi feras appropriant, tenentur ad omnia damna, quæ feræ agris, seminibus, & fructibus rusticorum inferunt, & si non restituant, licet subditi ex timore & metu non petant, & quasi coacti consentiant, grauissimè peccant, & in damnationis statu viuunt, donec restituant nec poterunt euadere iudicium eius, apud què nulla est acceptio personarum. Si autem Domini occidunt, aut mutilant transgressores, grauissimè peccant, nisi frequentent & rustici sint consueti facere, aut contumaces. Nec etiam honorificum, aut magnificum est, si domini minima prohibeant capi animalia à rusticis, cum iure naturæ omnia sint communia: quare relinquendum esset aliquid subditis pro recreatione, cum eorum fructibus & seminibus, feræ vt plurimum pascantur & alantur. Pro resolutione ad propositum.

Prima Conclusio. Si quis venetur alionas feras in loco clauso & septo à Domino, furtum committit, & tenetur ad restitutionem : quia huiusmodi bestia sunt captæ, & quasi domestica, & constitutæ sub dominio detinentis.

Idem

Idem est iudicium quando sic conferuantur, ut quandoque egrediantur, solitæ tamen sint redire ad suum locum.

Secunda Conclusio. Quando feræ desinunt redire ad proprium locum, amittitur dominium, ex §. feræ bestia. Instit. de rerum diuisione, nam per fugam à custodia, bestia pristinam recuperant libertatem, & ita efficiuntur capientis.

Tertia Conclusio. Si vagentur huiusmodi bestiae ubique, & nullo loco claudantur, etiam si prohibitum sit à Domino, ne capiantur ab aliquo, capiens non tenetur ad restitutionem; quia de iure sunt capientis. Ex his patet quod si quis capiat pisces in viuario & loco clauso furtum committit, & tenetur ad restitutionem.

De piscatione sumendum est iudicium secundum dicta.

Tertium dubium. An capientes columbas alieni columbarij, teneantur ad restitutionem?

HABERE columbas cum notabili damno aliorum non licet, ut communiter Doctores sentiunt. Si autem omnes ferè in loco columbas habeant, videntur mutuo consentire in recompensationem. De hac materia legendi. Nauarr. loc. cit. numer. 126. Sotus in fine d. artic. Medina vbi supra. S.

Bb 4 Anto-

Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 1. Pro Resolutione

Qui occidit columbas alterius, vel accipit in alieno columbario, furtum committit, & tenetur ad restitutionem; quia aufert alienum inuito domino. Eadem est ratio, si quis in suo columbario semina spargit, aut vitur aliqua arte, qua columbas ab alijs columbarijs ad suum pertrahat: Si quis autem solum suas pascat, & aliæ aduentent, non potest eas capere; Si autem manent, modo eas non retineat, & non reuertantur, potest eas retinere postquam consuetis temporibus desierint redire, vt Nauarr. tradit. Alia autem est ratio, quando columbe sunt syluestres, & vagantur, nec certum habent dominum: Si autem in aliquo loco consuetudo sit, vt columbæ post certum à columbarijs spacium capiantur, & nullius esse iudicentur, nisi capientis, tunc non est culpa capere. Ex dictis facile potest iudicium sumi de apibus. Si quis apes accipiat suis aluearijs, & locis inclusas, furtum committit. Si autem inueniantur in alieno loco non inclusæ, fiunt capientis, nisi aliquod statutum loci obstet.

Quartum dubium. *An lucrifacta in ludo sint restituenda?*

VIDE Ioan. Medinam C. de rebus restituendis q. 22. Sotum lib. 4. q. 5. art. 2. Nauarr. in Manuali cap. 20. num. 19. Alphonsum Castren. lib. de lege poenali cap. 11.

In

In sequentibus casibus aliquis tenetur restituere ludo acquisita.

Primo, Si aliquis lucrificat ludens cum eo, qui rei perditæ dominium non habet, nec liberam administrandi facultatem, ita, ut possit alienare, ut si quis lucretur à filio existente sub patria potestate, aut à minori, qui sub tutoribus agit, aut à religioso.

Secundo, Quando lucrans colludentem minus aut metu pertraxit ad ludendum ex cupiditate lucri; aut notabiliter in arte ludendi excedit.

Tertio, Si quis dolo, fraude, aut deceptione utatur, tunc ludo acquisita sunt restituenda.

Quantum restituendum?

TANTVM, quantum ablatum est, quando quantitas rei certa est; Si autem incerta, restitutio facienda ad arbitrium boniviri, qui consideratis circumstantijs, id quod æquitati consonum erit, iudicabit.

CAPVT XVIII.

CVI, VBI, ET QVO ORDINE restituendum?

COMMVNITER res restituenda ei, cui ablata est; Si autem habeatur ab alio.

Bb 5 quam

quam vero domino, restituenda domino, qui si mortuus sit, hæredibus restituendum. Idem est iudicium, quando res restituenda esset in damnum domini, vt si quis esset in debito furiosi, qui pecunias numeratas perderet, tunc hæredibus, aut curatoribus restitutio facienda: Quando autem dominus ignotus post diligentem inquisitionem manet, succedunt pauperes Christi. Si autem post inquisitionem non certus dominus, sed incertus inueniatur in confuso, tunc de consensu eorum, res restitutioni obnoxia diuidenda est inter eos. Hinc Caietan. infert, quod quando factum est nocumentum à militibus in bello, & non scitur certus dominus, damna refarcienda Reipubl. vt fiat diuisio. Quando que etiam contingit, quod res non restituenda domino, vt si acceptio, & collatio rei iniusta & contra legem, vt in Simonia contingit, tunc nec recipiens, nec dans potest retinere, sed restitutio Ecclesiæ læsæ, aut Christo in pauperibus facienda.

Vbi restitutio facienda?

FACIENDA in loco, vbi res habetur, quando obligatio orta est ratione rei alienæ, nõ tamen iniuste ablata: Si autem res retenta iniuste ablata sit, ibi res restituenda, vbi dominus indemnis seruatur: quamuis ipse restituens grauetur: quia sine culpa iniuste causam damni dedit: Si autem obligatio vim tra-

hat ex contractu, vel quasi contractu, standum est contractui, & restitutio facienda in loco ordinato.

Quomodo restituendum?

PER se, aut interpositam personam, modo damnum refarciatur parti læsæ. Si autem delictum occultum, occultè facienda est restitutio, ne fama proximi lædatur.

Quo ordine restituendum?

DE hoc ordine legendi S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 7. Caietan. in verb. Restitutio, cap. 8. Ioan. Medina in d. cap. q. 2. dub. 5. Navarr. d. ca. num. 47. Syluest. in verb. Restitutio 6. q. 5.

Quando obligatus ad restitutionem, omnibus est soluendo, non est opus seruare ordinem, sed indistinctè restitutio omnibus est facienda. Si autem non suppetunt facultates, hic ordo non seruandus.

In primis debita certa præferenda incertis, & inter certa prius restituenda, quæ extant in propria specie, quomodocunque sint accepta, quia quam diu res permanent, dominium manet penes verum dominum: vt fit in rebus depositis, locatis, furto, vel rapina ablatis: Alijs etiam paribus, debita contracta ex licitis contractibus sunt præferenda contractis ex rapina, furto, & alijs illicitis modis. Si autem in aliqua prouincia, vel loco sint statuta, vel
leges

leges de ordine restituendi seruandæ sunt. Bona autem incerta restituenda sunt secundum consilium confessarij, qui si viderit debitorem in magna paupertate, poterit dispensare, vt sibi retineat tanquam pauperi partem. Si autem confessario videatur, quod hac occasione liberius aliena rapiet, non expedit hæc facere misericordiam, ne peccandi liberius occasio offeratur.

Ordo autem hic in restituendo ita est necessarius, vt tradunt Syluester loc. cit. q. 7. & Nauarr. num. 52. vt si quis eum non seruet, conscientia non satisfaciat.

CAPVT XIX.

QUANDO RESTITVTIO FACIENDA, & quæ causa excusent, aut differant restitutionem?

Qui accepit rem alienam, vel eam detinet contra iustitiam, statim debet restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui vsum rei concedere potest, iuxta doctrinam S. Thomæ. 2. 2. quest. 62. art. 8. communiter receptam. Quia retinere rem alienam inuito domino, est contra præceptum negatiuum. Non furaberis. Ea autem natura est præcepti negatiui, vt obliget semper, & ad semper, vt

Docto-

Doctores loquuntur. Quando autem dicitur
præceptum restitutionis statim obligare, in-
telligendum moraliter, locis & temporibus
conuenientibus: Vnde qui nocte in lecto, vel
de die in Ecclesia recordatur, se alienum possi-
dere, non tenetur statim surgere ad restituen-
dum, sed animum habere restituendi primo
quoque tempore commodo. Ex dictis infe-
runtur quædam. *Primum*, quam diu quis deti-
net rem alienam inuito domino, si potest re-
stituere, & nolit, est in statu peccati mortalis, &
quo diutius detinet, eo grauius peccat: & quo-
tiescunque actum nolitionis elicit, nouum
peccatum committit. *Secundum*, horrendum
quidem, sed verissimum, multos damnari ob
non solutionem debitorum, nullum habentes
conscientiæ scrupulum, credentes se non te-
neri ante declarationem per sententiam, vt re-
fere Nauar. num. 64. loc. citat. infert. *Tertium*,
Confessarium non posse eum absolueri, qui
potest soluere, & restituere, & non facit, sed
differt contra voluntatem domini: Nec etiam
eum, qui potest totum, & vult nisi partem Quo-
niam talis non est contritus, cum velit in statu
peccati mortalis perjurare. Potest enim totum
simul & statim restituere, & tamen non vult
id præstare. *Quartum*, In periculosissimo esse
damnationis statu, qui per totam vitam non
restituunt, cum possint, neque propositum
habent nisi restituendi in morte, licet firmis-
simum

simum illud habeant: aut restitutionem præcipiendi in testamento, vt docent Sotus lib. 2. quæst. 7. artic. vltimo de iustit. & iure. & Iosephus Angles in florib. Theolog. 2. part. in 4. sentent. quæst. de restitut. artic. 2. difficult. 4.

Dubium. An confessarius debeat absoluere eum qui aliquoties promisit restituere, & non fecit?

S. Antonin. 2. part. tit. 2. ca. 8. Caiet. in summa verb. Restitutio, cap. 6. & Aurea Armilla in eodem verb. numer. 33. tradunt non debere absolui talem, nisi prius actualiter restituat: quia cum ex præteritis futura conijcere liceat, timendum ne post absolutionem deficiat à restitutione. Addit tamen Nauarr. nu. 58. quod talis possit occurrere pœnitens, & tales circumstantiæ loci, & temporis, & causæ, vt confessarius solo animo restituendi contentus esse debeat.

Quæ cause excusant à restitutione statim facienda?

TRE s potissimum. *Prima*, voluntas domini concedentis dilationem, vel condonantis debitum: quia tunc non retinetur alienum inuito domino. *Secunda*, Ignorantia iuris, vel facti, quam diu durat. *Tertia*, est impotentia restituendi, quæ si in perpetuum duret, etiam excusat: Si autem aliquis pro parte

parte sit potens, & pro alia impotens, tenetur ad restitutionem pro parte, qua potens est.

Quando autem aliquis verè dicatur impotens, vt excusetur à restitutione statim faciendâ, varij sunt Doctores. Vnde ad discernendum has ponunt regulas Syluest. in verbo Restitutio §. Aurea Armilla in eodem verb. & alij alibi.

Prima. Existens in extrema necessitate, & non habens nisi necessaria vitæ suæ & suorum, non tenetur statim restituere. Quia omnia in extrema necessitate sunt communia.

Secunda. Qui restituendo non posset vivere secundum decentiam sui status, etiam quod dominus rei, qui non est in tali, vel maiori necessitate nolit dilationem dare, non tenetur statim restituere, quia in hoc casu rationabiliter dominus deberet dilationem dare, licet cupiditate, vel alia irrationabili causa ductus nolit, & hoc fundamentum maximam clauem vocat Syluester & confirmat ratione & auctoritate.

Talis tamen debet cauere ne expensas faciat non necessarias in victu, vestitu, & alijs: alioquin rationabiliter non excusaretur.

Tertia. Quando restitutio est in damnum corporis, vel animæ domini si statim fiat, differenda est, quia cum hoc sit in commodum

modum eius, rationabiliter debet confite-
 tire.

Quarta. Si restitutio statim facta redundat in
 damnum cōtra bonum commune debet cō-
 ferri: quia bonum commune præferendum
 priuato.

Quinta. Si restitutio probabiliter est in di-
 num alicuius famæ, vel vitæ, aut animæ: aut
 periculum peccati mortalis inde timetur, non
 debet fieri nisi cessante tali periculo: quia hæc
 maiora sunt damna, quam non statim resti-
 tuere rem alienam.

Sexta. Si restitutio statim redundat in par-
 tium commodum creditoris, & in magnum
 damnum debitoris, ita vt oporteat eum ven-
 dere instrumenta artis suæ, qua viuit, vel aliud
 magnum damnum subire, non tenetur statim
 restituere, ex fundamento supra posito; quia
 creditor in tali casu rationabiliter debet dare
 dilationem, nisi ipse sit in simili casu; quia tunc
 statim restitutio esset facienda, cum nemo vt
 suum curet commodum, alteri debeat esse in-
 commodo.

CAPVT XX.
DE CONTRACTIBVS
in genere.

DE materia contractuum omnium latiffi-
 me

mè scribit Conrard. Summenhart. in septipar-
tito opere de contractibus, in quo centum
quæstionibus doctissimè contractuum iusti-
tiam examinat. Breuius Conrardo, sed tamen
satis latè de eadem materia agunt. Sotus lib. 6.
de iustit. & iure. Medina in C. de rebus per vsu-
ram acquisitis, & alij quorum mentio in pro-
gressu fiet.

Quid est contractus?

CONTRACTVS propriè, est mutua actio
inter aliquas personas, ex qua mutua nas-
citur obligatio: aut obligationis dissolutio:
Vel alio modo, vt Vlpianus in l. Labeo. ff. de
verb. significatione, definit, contractus est vl-
tro, citroque obligatio.

In omni contractu considerantur præci-
pue tria. Personæ contrahentes, actiones per-
sonarum, & res, circa quas actiones ipsæ ver-
santur, exempli gratia. Petrus vendit equum
viginti aureis Ioanni: Petrus & Ioannes sunt
personæ. Emptio & venditio actiones perso-
narum, pecunia & equus res, circa quas ver-
santur emptio & venditio.

*Triain
omni con-
tractu con-
sideranda.*

De multis modis diuidendi contractus, quæ
voluerit legat Conrard. de contractibus, q. 17.
S. Antonin. in 3. part. tit. 8. cap. 2. Sotum lib. 6.
q. 2. art. 1.

Nos pro natura compendij agemus tantū
de voluntarijs contractibus, qui versantur
Cc circa

circa res externas, quique sunt præcipuè septem, prout colligit Sotus. Tria considerantur in re. Dominium, usufructus, & usus, tres ergo erunt ordines contractuum. Primus eorum, in quibus dominium transfertur: Secundus, quando usufructus, & tertius quando nudus usus. Quando dominium gratis transfertur, donatio est, quæ cum non inducat obligationem iustitiæ, non est propriè contractus. Si autem translatio dominij non fiat gratis, tres sunt contractus. Aut res pro re commutatur: & dicitur cambium: aut dominium pro pretio transfertur: & est emptio, cui respondet venditio: aut transfertur, ut idem, vel tantundem reddatur, & fit mutuatio: Si autem usufructus transferatur, sed non gratis, fit Emphyteosis, ad quam traducitur censualis pensio. Cum autem merus usus transfertur, id vel potest fieri gratis, ut sola substantia restituatur, & est commodatio, vel usus non gratis conceditur, sed pro usu alterius rei, & est permutata commodatio: Si autem usus conceditur non pro usu alio, sed pro pretio, est locatio, cui correspondet conductio. Depositi, fideiussio, & stipulatio propriè contractus non sunt, cum nihil transferatur, S. Thomas 2. 2. quæst. 77. & 78. tantum disputat de fraudulentia, quæ committitur in emptione & venditione, & in mutuo ratione usura: quia in his virtute, tota contractuum materia

teria continetur. Præmittit autem quæstionem de emptione & venditione, quia emptio dignior est contractus. Hic autem sequemur ordinem doctrinæ, secuti Sotum & alios, & præmittemus doctrinam de mutuo & usura, cum usuræ vitium longè lateque per omnes contractus vegetur, & eo cognito facilius de iustitia aliorum contractuum, iudicabitur.

CAPVT XXI.

DE MUTVO, ET VSVRA

in genere:

DE materia usuræ legendi S. Thom. 2.2.q. 78. Conrard. de contract. tractat. 2. à c. 20. vsque ad 50. Sotus. lib. 6. q. 1. Medin. loc. cit. Nauarr. in Manuali Confessariorum cap. 17. à num. 206. & in comment. de usuris super cap. 1. 14. q. 3. Didac. Couar. libr. 3. variarum resolutionum, cap. 1.2. & 3. Summistæ in verb. Usura, & Canonistæ in iure canonico tit. de usura.

Quid est Mutuum?

EST contractus, in quo datur alteri res, quæ ipso usu consumitur, reddenda non eadem numero, sed specie.

Pro definitionis intelligentia, notandum.

Cc 2

res

*Quaedam
res vsu cō-
sumuntur,
alia non.*

*Mutuum
versatur
in rebus,
quæ vsu
consumū-
tur.*

*Pecunia
duplicem
potest ha-
bere vsu.*

res in duplici esse genere. Quædam ipso vsu consumuntur, ita vt quando rebus vituntur, consumuntur, & pereunt: vt sunt vinum, oleum, frumentum, pecunia & de similibus simile est iudicium. Aliæ non consumuntur vsu, sed permanent: vt equus, asinus, domus, gladius, ager, pratum, &c.

Contractus mutui versatur in rebus, quæ vsu consumuntur, & in hoc differt à commo- dato.

Dicet aliquis. Malè pecunia numerata est, inter res, quæ ipso vsu consumuntur, quia nō consumitur, nec perit, sed permanet. Respondetur. Quamuis pecunia in se non pereat, perit tamen exponenti, qui quando alteri eam mutuatur, transfert dominium in alterum. Hic etiam obseruandum, pecuniam duplicem posse habere vsu. Vnum ad mutuum, alioq; contractus, in quibus dominium transfertur. Alium per modum cōtractus locati, aut commo- dati, quando videlicet pecunia alteri traditur non in expensas, sed ad pompam, aut ostentationem alicui diuiti, aut potenti, vt cōferuet, & non expendat, & in tali casu vsus distinguitur à pecunia.

Primarius autem & Principalis pecuniæ vsus cōsistit in eo, quod per vsu ab vrēte discedat, & in alium transferatur, vt rectè Aristoteles 4. Ethic. cap. 1. attestatur, dum ait, Vsus pecuniæ, est eius consumptio & datio, retentio

tio verò, & acceptio eius, est possessio. Id quod doctissimè more suo tradit Couarr. lib. d. cap. i. num. 5.

Materia veri mutui sunt res triplicis generis. Quædam consistunt in numero; vt pecunia. Quædam in pondere: vt argentum & aurum. Aliæ in mensura; vt triticum, vinum, oleum. &c.

*Materia
mutui quæ
sit.*

Mutuum est duplex. Verum, & Palliatum. Verum, quando verè res gratis, vt ex sua natura huic contractui conuenit, mutuatur, nec aliud intenditur.

Palliatum, quod secundum suam formam apertam, & verba contrahentium est alius contractus, quam mutui: Secundum verò formam latentem, & mentem contrahentium veram vel præsumptam, est mutuum, vt definit Nauarr. in Manuali, cap. 17. nu. 206. exempli gratia, mutuum palliatum est in emptione quæ fit minoris iusto pretio ob anticipatam solutionem, & in venditione ad terminum, quando ob solutionem dilatam res carius iusto pretio venditur. Mutuum palliatum sicut etiã usura palliata, versatur in materia omnium contractuum, vt clarius ex sequentibus patebit, & Nauarr. exemplis ostendit latè in commentario de usuris num. 4. & 26.

*Mutuum
Palliatum
versatur
in materia
omnium
contractuum.*

De Usura.

VUSURA dupliciter accipitur. Vno modo
Cc 3 pro

pro actu siue peccato vsuræ, quo quis vult & appetit vsurarium lucrum. Alio modo pro ipso lucro, seu pretio, quod in mutuo accedit forti ex pacto, & intentione.

*Quid sit
peccatum
vsuræ.*

Vsuræ peccatum, de quo agimus sic defini potest.

Est voluntas capiendi vltra sortem lucrum aliquod, vi, & causa mutui principaliter. Hanc definitionem Nauarr. Couarr. loc. cit. num. 1. & Sotus art. 2. explicant: & quoniam ea bene intellecta multi casus resolui possunt, latius explicabitur.

In definitione dicitur (*voluntas*) ad includendum etiam actum voluntatis, interiorem, & vsuram mentalem, cum quis mutuo dat alicui, vt consequatur aliquid vltra sortem; aliàs non mutuaturus, sine tamen expresso pacto, (*vltra sortem*) per sortem intelligitur summa capitalis, quam quis mutuo dat, exempli gratia, aliquis 100. dat mutuo, vt 5. annuatim percipiat, sortem siue summam capitalem 100. efficiunt (*lucrum aliquod*) per lucrum accipiendum, omne lucrum temporale: vt pecunia: vel quicquid pecunia æstimari potest: Qua ratione si quis ob mutuum amicitiam, beneuolentiam, aut aliquid, quod pecunia æstimari nequit, consequatur vsura non est. (*Vi aut causa mutui*) quia si titulo lucri cessantis, aut damni emergentis in casibus, quibus iustè id fit, de quibus infra, aut

aut alio modo legitimo, aliquid accipiatur, usura non est. (*principaliter*) cum ad usuram requiratur ut principalis intentio sit ad lucrum ex mutuo, ut late ostendit Nauarr. in commentario de usuris notabili 10. ad 11. Quod breuiter repetit in Manuali capit. 17. numer.

209.

Usura est duplex. Mentalis, & Realis. Mentalis iterum duplex: pure mentalis, & non pure mentalis. Pure mentalis non est aliud, quam ipsa voluntas accipiendi aliquid sub usura nullo subsequente opere.

Non pure mentalis est voluntas querendi lucrum ex ipso mutuo, intentione querendi illud sine pacto tacito, & expresso, & in hoc sensu intelligenda questio, qua Doctores quarunt. An usura mentalis obliget ad restitutionem, ut præ reliquis Nauarr. in d. commentatio num. 13. annotauit, & quando in tali mentali usura ratione mutui aliquid acquiritur, est obnoxium restitutioni, ut patet ex cap. Consuluit de usuris. Realis quando opus exterius completur accedente pacto tacito, vel expresso.

Usura ex suo genere est peccatum mortale, contra ius diuinum, naturale, & posituum: prohibetur enim omnium sententia præcepto, de non furando, & Psalm. 14. Domine quis habitabit, &c. qui pecuniam suam non dedit ad usuram, ergo à contrario

Cc 4 sensu

sensu non habitabit in tabernaculo suo; qui pecuniam dedit ad usuram: & in iure can. in titul. de usuris. Hanc veritatem reliquis copiosius & doctius probat Conrad. de Contractibus quæst. 22. & 23. quem sequuntur Couarr. loc. cit. num. 5. Ioan. Medina q. 2. Nauarr. in d. comment. notab. 5. Sotus loc. citat. quæst. 1. artic. 1. Iulius Clarus libr. 5. sententiarum Iuris §. usum, qui repetit dicta à Couarr. & hæc est communissima Doctorum sententia. Ex hoc fundamento euidenter elicitur ne minimas aut etiam moderatas usuras esse licitas, contra Carolum Molinæum in tractat. de commercijs numer. 7. 11. & 515. ex autoritate Philippi Melanthonis, & per eos. Cod. de usur. Qui error contra Catholicam fidem est, & communem Doctorum sententiam, quamvis eù superiori anno quidam Imperiti, à fide Catholica alieni, in quibusdam Germanicis scriptis renouauerint; nec aliud est affirmare, quam minima & moderata furta esse licita: Quod nemo sanæ mentis vnquam tradidit. Cum enim usura ex sua natura sit mala, contra legem naturalem & diuinam, neque dispensatione Pontificis, neque auctoritate Imperatoris potest iustificari.

Ex eodem quoque fundamento eruitur, non esse licitum alium inducere, ut sibi, vel alteri det usuram? quia hoc esset inducere ad peccatum ex sua natura malum. Petere autem pecu-

pecunias mutuo ab eo, qui paratus est dare ad
 usuram, & si gratis nolit mutuare, accipere ad
 usuram, si necessitas urgeat, non est illicitum,
 quia tunc vitur tantum alterius malo ad bo-
 num finem, quod crimen nō est, quando alias
 paratus est facere, vt tradunt S. Thom. 2. 2. qu.
 78. artic. 4. Caietan, ibidem. Sotus loc. cit. ar-
 tic. 5. Canonistæ in cap. Super eo. de usura.

De pœnis vsurarij legendi Angelus verb. *Quæ pœna*
 usura 2. & Syluestr verb. usura 9. Præcipuè au- *vsurarij.*
 tem sunt hæ, Non admittitur ad confessionē,
 nisi prius pro facultatibus suis satisfaciat, vel
 cautionem det de satisfaciendo, capit. Quan-
 quam, de usur. in 6. Nec etiam admittendus
 est ad communionem, aut oblationem, aut
 Ecclesiasticam sepulturam.

Nec valet testamentum Vsurarij, nisi pro
 facultatibus satisfactum sit illis, quibus faci-
 enda restitutio, vel idoneè cautum sit de resti-
 tutione; hæc & aliæ pœnæ conueniunt mani-
 festo vsurario, qui palam & publicè fœnerati-
 ciam artem exercet; vel coram Sacerdote &
 testibus fatetur se vsurarium, & mandat resti-
 tuere: vel in iudicio confessus est. Vide Co-
 uarr. lib. cit. cap. 3. & Nauarr. in Manuali. cap.
 17. num. 28. De pœnis vsurariorum latissimè
 tractamus in cap. Cum in diœcesi, de usur. per
 6. qq.

Tandem cum usura sit peccatum contra
 iustitiam, omnia acquisita & extorta per usu-

ram sunt restituenda, secundum communem sententiam, & rei veritatem: & hæc obligatio transit etiam ad heredes usurarij, aliosque participantes ex bonis usura partis cap. Tua de usuris. & cap. In literis. de raptoribus, & cap. fin. de sepult. Quæ spectant ad restitutionis materiam circa usuram ad longum prosequimur in cap. Cum tu. eod. tit. per octo questiones.

CAPVT XXII.

DE PARTICVLARIBVS *Quibusdam casibus, in quibus usura committitur.*

PRIMVS. Si quis mutuo accipiat aliquas pecunias, & dat fructiferum pignus, donec pecunias reddat: mutuo dans tenetur fructus perceptos in sortem computare: alias committit usuram, cap. Conquestus. de usur. & cap. Illo vos. de pignoribus, & Cod. de pignoratitia action. l. 1. & 2. Ex hoc cap. contingit, quod quando fructus pignoris accedunt ad summam mutuam, & ipsam coequant, pignus restituendum sit, nec mutuum possit repeti sine peccato, cap. Cum contra de usur. Si quis tamen expensæ factæ sint in conseruatione pignoris deducendæ sunt.

Excipiuntur ab hac regula duo casus, in

quibus creditor non tenetur fructus pignoris
computare in sortem. *Duo casus
in quibus
creditor*

Primus, Quando vassallus, vel feudatarius
oppignorat feudum Domino feudi, capit. *nō tenetur*
Conquestus, & DD. ibidem: quia in tali casu *fructus pi-*
dominus percipit fructus non ex alieno, sed *gnoris com-*
proprio, cum directum dominium habeat *putare in*
pignoris, tunc enim quasi consolidatur usu- *sortem.*
fructus cum proprietate.

Secundus Casus, Ex cap. Salubriter. de vsur.
Gener potest recipere fructus pignoris dati,
donec dos soluatū à socero, nec tenetur fru-
ctus computare in sortem. Cuius rei varias
discutit doctè rationes Couarr. in cap. i. à nu-
mer. 3. lib. 3. variarum resolut. & latè nos in d.
cap. Salubriter. q. vnica.

Secundus casus principalis. Si quis mutuet ali-
cui, vt ad suum molendinum veniat, & molat,
vel ad suam officinam, & emat, vel in suo præ-
dio laboret etiam pro mercede, &c. vsuram
committit. Panorm. & alij in cap. vlt. de vsur.
Nauarr. in Manuali, cap. 17. num. 220. Sotus in
d. art. 2. Couarr. cap. 2. num. 5. & hæc est com-
munis opinio, vt testatur Syluest. verb. vsur. 1.
q. 7. Talis tamen ad nullam tenetur restitutio-
nem, nisi vt renunciet obligationi, si aliud dā-
num non sequatur.

Tertius, Si quis mutuet, vt alius sibi remu-
tuet alio tempore, si obligatio ciuilis interce-
dat Gloss. 14. q. 3. cap. Si feceraueris. Panor.
in cap.

in cap. Consuluit de vsur. S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3. Angelus in verb. vsura. 1. §. 1. & alij alibi. Si quis tamen mutuaret, vt alius etiam in simili casu esset gratus, sine pacto & obligatione, non esset vsura.

Quartus, Si quis mutuo det Principi, vel ciuitati, aut reipubl. vt eximatur à vectigalibus & oneribus consuetis, vsura est: quia talis exemptio æstimari potest pecunia, omnium iudicio.

Quintus, Si quis mutuo det frumentum, vt tempore solutionis plus accipiat, exempli gratia, dat 10. mensuras Paschæ, vt Martini restituantur 12.

Sextus, Mutuans pecuniam cum pacto, vt accipiat munus à lingua, vel ab obsequio committit vsuram, S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3. & alij alibi: quia perinde est, ac si expeteret munus à manu, quod pecunia æstimabile est. Ad munus à lingua spectat docere, in iudicio patrocinari, causas defendere, &c. ab obsequio spectat ad corporalem seruitutem & laborem.

Septimus, Mutuans alicui pecunias argenteas, vt sibi in auro restituat vsuram committit: quia talis obligatio cum sit onerosa, pecunia æstimatur, sic Hostien. in summa de vsuris Nauarr. & alij alibi docent.

Octauus, Tutores & Curatores, qui dant mutuo pecunias pupillorum ad vsuras, quamuis id lege ciuili videatur permissum, committunt

ant vsuram; quia cū vsura intrinsecè sit mala,
 ne pietatis quidem causa etiam licita est cap.
 Super eo, de vsura. Debent autem Tutores
 pecunias pupillorum exponere, vel in emp-
 tionem prædiorum, vel in societatem iustam,
 aliamque honestam negotiationem, vt pupil-
 li aliquid lucri acquirant. In summa, vt multos
 casus omittamus, quoties debitor ratione
 mutui ultra sortem ad aliquid obligatur in
 quacunque re, quæ pecunia æstimati potest,
 vsura committitur.

Dubium primum. *Quid censendum de pacto
 legis commissoriae?*

Pro intelligentia, pactum legis commissoriae est, quando mutuans accipit pignus, *Quid sit pactum le-*
 ita vt si creditor non soluat tempore statuto, *gis com-*
 pignus sit venditum, vel cadat in commissum. *missoria.*
 Tale pactum à iure introductum est in pœ-
 nam eius, qui negligit præfinito tempore sol-
 uere.

Ad iustitiam huius pacti hæc requiruntur *Quæ requi-*
 condiciones. *Prima*, vt non sit fraus vsurarum: *runtur ad*
 Vnde si quis tale pactum faciat cum eo, quem *iustitiam,*
 probabiliter credit non fore tempore defini- *talis pacti.*
 to soluendo, mortaliter peccat, iuxta Nauarr.
 in Manuali. capit. 17. num. 215. ex Scoto & alijs
 in 4. d. 15. *Secunda*, vt pactum habeat, vt defi-
 nito solutionis tempore res cadat creditori,
 vt empta iusto pretio. *Tertia*, vt si pignus fru-
 ctife-

ctiferum sit, omnes fructus pignoris com-
tentur in sortem, vsque ad tempus praefi-
De hoc pacto vide Panorm. in cap. Significati-
de pignorib. Couarr. loc. cit. cap. 2. num. 7. & 8.
Nauarr. loc. d.

Dubium secundum. *An mutua ratione damni
emergentis? aut lucri cessantis, quod commu-
niter nunc interesse vocant, aliquid
possit accipere?*

HANC quaestionem ad longum tractant
Conrad. de contractibus. qu. 30. Sortes
loc. cit. q. 1. art. 3. Medina in C. d. q. 3. Nauarr.
num. 211. Couarr. lib. d. cap. 4.

*Quid dam-
num emer-
gens sit.*

Damnum emergens est, quando aliquis
priuatur aliqua re, quam habet aestimabili pecunia ex eo, quod alteri pecunias mutuo dedit, exempli gratia, habeo pecunias ad emendum triticum pro mea necessitate tempore autumnii, sed quia is, cui meas pecunias mutuo dedi, non reddit ante pascha, quando triticum duplo carius venditur, emergit mihi damnum.

*Quid lucrū
cessans.*

Lucrum cessans est, quando quis lucraturus est cum illis pecunijs, quas mutuo dedit, & ideo cessat sibi lucrum.

Ratione damni emergentis, in mutuo licet aliquid exigere, quando in rei veritate alius est in mora ratione dilatae solutionis, quod damnum emergat, vt communiter DD. docent.

rent & Canonistæ cum Glossa in cap. Con-
questus. eod. tit.

Ratione etiam lucri cessantis, licitum est etiam exigere aliquid ultra sortem, quando pecunia statim erat negociationi exponenda, & mutuans non habet aliam pecuniam, quam mutuare possit. Quia non solum damnum aliquis patitur, quando amittit, quod habet, sed etiam cum impeditur à lucro, quod habiturus erat. Ad iustificandum lucrum cessans aliquæ limitationes & conditiones requiruntur. *Prima*, ut pecunia in rei veritate statim negociationi sit exponenda. *Secunda*, ut aliam non habeat, quam mutuare possit. *Tertia*, ut mutuans malit negociatione quam mutuatione aliquid lucrari. *Quarta*, ut rogatus id faciat in accipientis gratiam: nam si se insinuaret ad faciendum, præsumptio est in fraudem usurarum fieri. *Quinta*, ut deducantur expensæ. *Sexta*, ut minus aliquid, & non totum quod verisimiliter lucraturus erat, exigat: quia lucrum cessans non est actu, sed potentia: vnde varijs euentibus impediri potest: Ad arbitrium ergo boni viri recompensandum est. Conrard. q. d. 7. vel. 8. conditiones lucri cessantis ponit, quas Medina, Sotus & Nauarr. latè examinant. Ex conditionibus & varietate sententiarum circa has conditiones colligitur, quod periculosissimum est exercitium lucri cessantis, nisi sint homines valdè bonæ & timo-

*Conditio-
nes requi-
sita ad iu-
stiriam lu-
cri cessan-
tis.*

timorata conscientia, quae nigro cygno tor-
or est in negociatoribus.

Dubium tertium. *An in mutuo liceat ultra tem-
pore ratione poena conventionalis aliquid exigere, po-
pote quia debitor est in mora solutionis pra-
scripto tempore?*

VERBI gratia, mutuo tibi 100. aureos con-
stituendos ad diem Natalis Domini sub
poena conuenta, si tum non solueris, capitulum
adiunges 10.

Vide Scotum in 4. d. 15. q. 2. artic. 3. Syluester
in verb. usura, l. q. 28. Angel. eod. verb. §. 3. Jo-
sephum Angles in floribus in 4. 2. part. in q. de
contractu mutui. 4. difficult.

Certum est, quod ad euitandam debitoris
negligentiam licet poenam conventionalem
quandoq; apponere, & exigere, quia reipubl.
conuenit, vt pacta iusta seruentur, & debitoris
negligentia puniatur: Si autem mutuatarius
propter impotentiam, sine vlla culpa non sol-
uat in termino, poena exigi non potest. Si autem
poena imposita sit in fraudem vsurarum, vt
quia mallet debitorem poenam incurere, qui
soluere vel probabiliter praesumit, quod non
soluet in termino, non est licitum poenam exi-
gere. Etiam hoc obseruandum, quod quando
mutuatarius non soluit totam pecuniam, sed
partem, poena etiam pro rata diminuatur.

CAPVT XXIII.

DE EMPTIONE ET VEN-
ditione in genere.

EMPTIO, cui correspondet venditio, est contractus, in quo res datur pro pecunia, vel contra, pecunia pro re. Iustitia huius contractus in eo consistit, vt sit æqualitas pretij ad rem.

Valor rei est duplex. Naturalis, & Vsualis siue forensis.

Naturalis, qui consistit in natura & gradu rei essentiali: & sic animal est pretiosius auro & argento, &c. & de hoc valore non agimus in presenti.

Vsualis siue forensis est, qui sumitur ex utilitate & vsu hominum: & sic res dicitur maioris valoris & pretij, quæ magis est utilis hominum necessitati.

Pretium rei nihil aliud est quam valor, vel potius mensura valoris rei. Pretium vsuale rei in primis duplex esse potest. Legitimum, & arbitrarium.

Legitimum, quod lege, aut constitutione est præscriptum & taxatum: vt si constitutio fiat ab habente potestatem. Modius frumenti non vendatur carius tribus regalibus, & hoc

Dd preti-

*Pretium rei
quid sit.
Et quotu-
plex.*

pretium consistit in indiuisibili, & non licet transgredi.

Pretium Arbitrarium, quod consistit in arbitrio
arbitrariū vendentis, & cum hoc habeat latitudinem, di-
est triplex. uidetur in triplex. In minimum siue pium,
Medium siue moderatum, & maximum siue
rigidum, exempli gratia, sit iustum pretium
modij tritici aureus, plus vel minus quadran-
te, pretium pium erit vendere aureo dimidio
& quadrante. Moderatum vendere aureo, ri-
gidum aureo & quadrante.

Iustum hoc censendum est rei pretium, quo
communiter res solet emi & vendi, cessante
fraude & dolo, iuxta arbitrium peritorum &
prudentum in eo venditionis genere. Quia
vna & eadem res, plus & minus valere potest
pro diuersitate generis venditionis; vt in offi-
cina res viliori pretio venditur, quam apud
mercatores, & quæ sub hasta venduntur, vel
à militibus in iusto bello acquisita, vilius di-
strahuntur: quia alia est natura huius generis
venditionis. De qua re vide doctè differentē
Didacum Couarr. lib. 2. variarum resolut. cap.
3. & Sotum. libr. 6. q. 2. art. vltimo.

Negotiatio relata in debitos fines, vt pote
ad publicam vtilitatem, ac necessitatem, nec
non honestam domus & familiæ sustentatio-
nem, licita necessariaque reipub. est, vt expe-
rientia rerum magistra demonstrat. Vnde
quando

quando sancti Patres videntur damnare negociationem, intelligendum de ea, quæ tantum lucri causa fit: talis enim turpis & sordida est. Patrum testimonia habentur apud Gratianum dist. 88.

Plurimum valet ad discernendum iustitiam emptionis & venditionis animaduvertere in primis, an interueniat tacitum mutuum, vel interponatur expectatio emptoris ad certum tempus, & tunc videndum, an aliquid accipiatur ob moram. Quod si fiat magna est suspicio palliatæ usuræ. Attendendum etiam, an alius contractus cum emptione & venditione concurrat: & tunc ex natura vtriusq; contractus, sumendum iudicium de æquitate. Postremò in emptione & venditione perpendendum, vt sit æqualitas pretij, & valoris rei, quæ si adsit, iustus est contractus: Aliàs secus.

Omnis iniustitia in emptione & venditione committitur; aut ratione pretij si excedat valorem rei: aut ratione temporis, si solutio aut anticipetur, vel differatur: aut ex parte rei: quæ venditur, si defectum patiatur. Quare in sequenti capite hæ tres difficultates declarabuntur.

An liceat rem carius vendere, quam valeat?

An carius vendere ob dilatam solutionem, & vilius ob anticipatam, &c.

Dd 2

An

An venditio illicita reddatur ob defectum rei vendite.

CAPVT XXIV.

DE IUSTITIA ET INIUSTITIA in emptione & venditione.

Prima difficultas. An liceat rem carius vendere quam valeat, & quomodo?

PRIMA Conclusio. Qui fraude, vel dolo rem maioris, quam valeat vendit, mortaliter peccat, si excessus sit notabilis, & tenetur ad restitutionem, S. Thom. 2. 2. q. 77. artic. 1. ab omnibus receptus, & constat ex lege naturalibus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Eadem est ratio de emptore, si fraude & dolore minoris iusto pretio emat.

Secunda Conclusio. Qui per ignorantiam probabilem, aut inuincibilem iniuste emit, aut vendit, non peccat durante tali ignorantia, certior tamen factus de iniustitia, tenetur ad recompensationem: aliàs non restituendo mortaliter peccat: Quia cum scientia vult retinere alienum, quod est contra iustitiam, S. Thom. in d. quæst. art. 2. S. Antoni. 2. part. tit. 1. cap. 16. §. 3. Scot. in 4. d. 15. q. 2. Sot. libr. 6. qu. 3. artic. 2. & hæc est communis opinio, vt Nat. uat.

narr. tradit in cap. Nouit, de iudicijs, notabili
6. num. 66. & Couarr. lib. 2. cap. 4. num. 11.

Tertia Conclusio. Qui scienter etiam cessante fraude & dolo, cum deliberatione rem vendit pluris, aut minoris emit, quā valeat, si notabilis etiam sit excessus, mortaliter delinquit, & tenetur ad restitutionem excessus, cum sit peccatum contra iustitiā, est communis Doctorum sententia. Dictum (cum deliberatione) cum Nauarro in Manuali, cap. 23. numer. 87. ad excusandos innumeros, qui sensualitate ad id prouocante sine iusta deliberatione concipiunt desideria id faciendi.

Quarta Conclusio. Per accidens potest esse, quod quandoque res maioris quam valeat vendatur, quando scilicet vendens ex venditione patitur detrimentum, & est multum necessaria ementi. Potest etiam quis minoris ē contra emere, quia res sibi parum vtilis.

Non tamen est licitum carius vēdere: quia res est valdē vtilis ementi, neque vilius emere; quia parum vtilitatis adfert vendenti; quia neque vtilitas aliena potest vendi, neque aliena incommoditas comparari, vt benē S. Thom. in q. d. artic. 1. tradit. quem Sotus q. d. artic. 1. conclus. 4. latius explicat.

Quinta Conclusio. Quando merces non sunt necessariae ad publicum vsum, siue ad vitam transigendam: vt sunt merces victui, & amictui siue vestitui necessariae, tunc tantum va-

Dd 3 lent,

lent, quantum vendi possunt, verbi gratia, si accipitres, gemmæ, &c. nobili vendantur, quantum ipse dederit, vendi possunt. Hanc conclusionem tradunt Sotus lib. 6. quæst. 2. artic. 3. in fin. & Iosephus Angles in floribus Theolog. qq. in 4. 2. part. in quæst. de contractu emptionis & vendit. difficult. 2. dub. 8. Ratio assignatur, quia certitudo pretij inuenta est propter publicam vtilitatem, & cum res, quæ non sunt vsui publico necessariae, certo pretio careant, valebunt; quantum vendi poterunt.

Sexta conclusio. Quamuis lege ciuili non puniatur, decipiens infra medietatem iusti pretij in emptione & venditione, nec contractus rescindatur, l. 2. C. de rescind. vendit. In foro tamen conscientia, si sit notabilis excessus, etiam infra terminum dimidietatis, qui decipit mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem, S. Thom. quæst. d. artic. 1. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 16. Conrad. de contractibus quæst. 58. Medina in d. Cod. quæst. 32. & latissimè Nauarr. in capit. Nouit de iudicijs notab. 6. à num. 47. & Couarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 4. numer. 11. & alij multi quos hic auctor, & Nauarr. ad longum citant, quorum opinio communis est non solum apud Theologos, sed etiam Iurisperitos, probatur ratione. Decipiens etiam intra dimidium iusti pretij peccat contra

tra iustitiam commutativam, quia accipit alienum invito domino, nec servat æqualitatem inter pretium & rem venditam, quod omnium iudicio requiritur ad iustitiam in emptione & venditione, ergo peccat, & tenetur ad restitutionem. Item patet ex sacris literis Levit. 25. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum, i. ad Thessalon. 4. Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.

Septima Conclusio. Quando pretium iustum à repub. vel à superiori habente potestatem, alicuius rei taxatum & statutum est, qui notabiliter pretio taxato carius vendit, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem excessus. Ioan. Medina in C. de rebus restituendis. qu. 37. Alphons. Castrens. lib. 1. de lege pœnali, capit. 12. Nauarr. in Manuali capit. 23. num. 88. Iosephus Angles vbi supra. art. 1. difficult. 1. Quia peccat contra iustitiam, qui rem notabiliter carius iusto pretio vendit: Iustum autem censetur pretium, quod ad publicam utilitatem, à Republ. aut Principe constituitur. Quod de pretio rerum taxato dictum idem extenditur ad valorem pecuniæ constitutum.

Dubium circa hanc Conclusionem. An sicut laici in tali casu peccant, & tenentur ad restitutionem; sic etiam clerici excedentes obligentur: & videtur quod non: quia sunt

Dd 4 ex-

exempti à iurisdictione laicorum, & non subduntur legibus eorum, capit. Decernimus, de iudicijs, & capit. Si diligenti, de foro compet. Respondeo secundum Nauarr. & Medinam. Quod quamuis clerici nō subdantur legibus, aut Iurisdictioni laicorum, nec teneantur ad pœnas insertas huiusmodi statutis, legibus, & edictis, etiam si violauerint, subiecti tamē sunt legi naturali & diuinæ, quæ præcipit, ne quis sua ultra iustum pretium vendat. Iustum autē pretium est, quod ab habente potestatem, determinatum est. Quare etiam clerici ratione legis naturalis & diuinæ, & non vigore edicti secularis, tenentur stare iusto rerum pretio.

Secunda difficultas. *An liceat carius vendere ob dilatam, vel vilius ob anticipatam solutionem emere?*

PRIMA Conclusio. Simpliciter loquendo, vendens rem carius notabiliter iusto pretio rigido siue maximo ob dilatam solutionem, vsuram committit, & tenetur ad restitutionem excessus, S. Thom. 2.2. quæst. 78. artic. 2. ad vltimum, Scot. in 4. d. 15. quæst. 2. artic. 2. Conrard. quæst. 59. Sotus lib. d. quæst. 4. artic. 1. Couarr. lib. 2. cap. 3. num. 6. Nauarr. in comment. de vsur. num. 26. & alibi. Canonistæ in cap. In ciuitate. & in ca. Nauiganti, eodem tit. Hinc optimè Panorm. in cap. Ad nostram de empt. & vend. docet huiusmodi esse vsurarios, & si

et si publicè hoc faciunt, eorum testamentum esse nullum, iuxta capit. Quinquam. de vsur. in 6. Ratio huius conclusionis: quia rem plus vendere non licet, quam valet, neque plus valet, quam pretium est de præsentì currens, pretium autem rei existentiam eius comitatur, vt res tanti æstimetur quanti est, quando existit, & hominibus est vsui, & sub hoc contractu palliatur vsura. Perinde est rem 10. florenis valentem credito vendere 12. ac si decem statim numerati emptori mutuo darètur, sub vsura duorum. Dictum (*Simpliciter loquendo*) quia ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, licet rem ob dilatam solutionem carius vendere, vt DD. tradunt. In tali tamen casu sunt seruandæ conditiones damni emergentis, & lucri cessantis, de quibus supra. Eadem est ratio si quis vilius iusto pretio emat anticipata solutione.

Secunda Conclusio. Potest aliquis vendere merces pecunia credita ad tempus, pretio maximo, siue riguroso, quas statim pecunia numerata, pretio mediocri, aut pio vendidisset, Caietan. 2. 2. quæst. 77. artic. 1. in fine. Sotus lib. 6. quæst. 4. conclus. vnica & alibi. Iosephus Angles. loc. cit. artic. 2. i. difficult. conclus. 2. Philippus Decius consilio III. incipiente, Diuino implorato auxilio. Couarr. libr. 2. cap. 3. num. 2. & ratio est, quia cum pretium rigidum siue maximum non excedat latitudinem iusti pre-

Dd 5 tij,

rij, nulla committitur iniustitia, & dilatio solutionis ob pericula, & alia potest vendentem mouere, vt pretium augeat in latitudine iusta.

Tertia Conclusio. Si sit dubium, an res tempore solutionis sit plus, vel minus valitura, nec venditor erat ante tempus solutionis venditurus, potest carius iusto pretio ob dilationem solutionis vendere: & nota quod ambe conditiones debent simul concurrere, contra Caietanum 2. 2. quæst. 78. artic. 2. ad 7. qui vult priorem absq; posteriori sufficere. Conclusio constat ex capit. Naviganti. & cap. in ciuitate per vsur. Hostiens. in summa eodem titul. §. an aliquando, vers. Quid ergo. Co-uarr. loc. cit. Sot. quæst. 4. artic. 2. Ioan. Maior in 4. d. 15. quæst. 32. Syluest. verb. vsura 2. §. 3. Quia propter dubium euentum, emptor & venditor commodum & incommodum sperare possunt, cum decursu temporis pretium rerum soleat augeri vel minui. Vsuram autem committit vendens rem carius iusto pretio credita pecunia, quam non erat seruaturus ad tempus solutionis, nec res etiam erat plus valitura, ex capit. Naviganti. & cap. In ciuitate. DD. hæc communis est sententia. Ratio redditur ex Panormitan. in capit. In ciuitate. Quia verus valor rei attenditur secundum tempus emptionis & venditionis, ex cap. Cum dilecti, de empt. & vendit. & excipitur solum casus,

casus, quando concurrunt duæ conditiones
positæ, & res præfens & futura differunt tan-
tum tempore, quando nihil mutatur in sub-
stantia: tempus autem non est vendibile.

Quarta Conclusio. Qui vendit frumentum:
aut simile quid indeterminato pretio, & ob-
dilata solutionem in aliud tempus, vendit
maximo pretio, quo valebit toto tempore
vsque ad terminum solutionis, iniquissimè
agit, vsuram committit, & ad restitutionem
excessus tenetur, cum proximo damnum
contra iustitiam inferat: Hostiens. in d. §. an
aliquando. Laurentius à Rodulphis in capit.
Consuluit de vsur. quæst. 29. & seq. Couarr.
loc. cit. Syluest. in verb. vsura. quæst. 5. Scot. in
4. d. 15. quæst. 2. artic. 2. Iosephus Angles part.
d. in quæst. de contractu mutui difficult. 2.
dub. 1. Aurea Armilla in verb. vsura. num. 12.
& alij alibi.

Quinta Conclusio. Si quis non est seruaturus
merces suas in tempus solutionis, & vendit
pecunia credita ad terminum pretio indeter-
minato, tempore solutionis currenti, quo
tempore dubium est, sintne plus vel minus
valitura, quam tempore contractus, non pec-
cat. Quia cum res dubia sit potest commo-
dum esse vendentis vel ementis, vt Docto-
res sentiunt. Si autè tempore venditionis mo-
ralis est præsumptio, quod in termino solu-
tionis, plus valebunt, illicitus erit cōtractus

ex parte vendentis, qui in tuto constituitur cum alterius damno.

Sexta Conclusio. Qui emit frumentum, aut vinum, vel aliud simile dandum tempore collectionis nunc minori pretio infimo iusto ob anticipatam solutionem, quam collecta valent, mortaliter delinquit, & tenetur ad restitutionem, Panormitan. in cap. Nauigantium. mer. 6. cum textu. Nauarr. in Mannali, cap. 7. numer. 227. Secus tamen si æquo pretio licet minori, si alicui periculo subijciuntur.

Ex prædictis conclusionibus infero aliqua circa hanc materiam.

Primum. In hoc venditionis genere, quando aliquid venditur carius iusto pretio pecunie credita, vel emitur vilius ratione anticipatæ solutionis, committitur vsura: quia mutuum regitur pallio venditionis, vt DD. tradunt.

Secundum. Cum hic contractus vsque ad iustum pretij quantitatem verè sit dicendus venditionis, ratione vero excessus mutuum præsumendum, redigenda res est ad æqualitatem sublato excessu extra metas iusti pretij, vt doctè Couarr. aliorum auctoritate docet, quia in foro conscientie omnis inæqualitas in emptione & vendit. reducenda est ad æqualitatem, vt saluetur iustitia.

Tertium illatum. Quoniam prædicti contractus sunt periculosi, vt rei veritas est, & Syl. verb. vsur. 2. q. 2. vers. Quartum tradit Pontifex

sex in cap. In ciuitate, consuluit esse abstinendum.

Rarò enim mercatores & venditores sunt tam puræ conscientia, vt fraudes & turpe lucrum non misceant. Radix omnium malorum cupiditas, multis oculos intelligentia & conscientia eruit, vt videant tantum ea, quæ sunt mundi.

Quartum. In perpetuo damnationis statu sunt, qui vt plurimum ob dilatam solutionem pauperibus frumenta carius iusto pretio Paschæ, Pentecostes, aut Ioannis vendunt, exempli gratia, ad terminum solutionis Martini, aut Natiuitatis Christi, dico quod hi in malo sunt gradu, siue diuites siue potentes sint, nisi respiscant, & iniuste acquisita, & à pauperibus extorta restituant. Hinc videris aliquos, qui quando tempore defectus annonæ malum frumenti pretio iusto, rigoroso pecunia numerata venditur 10. thaleris, aut 12. ipsi ex pecunia credita ad terminum vendunt 12. aut 14. aut quod execrabilius, carius: Quod malum hisce temporibus latius regnat, crudelius facit in pauperes, occultius eorum sanguinem sugit, & in extremam miseriam miseros adigit, & efficacius animas plurium diuitum æternis cruciatibus, vt verbis Nauarr. in capit. Nouit. de iudic. notab. 6. num. 102. vtar, obligat. Tales enim, vt hoc addam, cum hoc eorum exercitium omnibus notum sit, manifesti sunt usurarij

rarij iuxta ea, quæ Panorm. in ca. Ad nostram
 de empt. & vendition. & in capit. In ciuitate
 de vsur. Anton. Burg. in cap. Ad nostram. m.
 7. de empt. & vend. Ias. in l. Eius qui in provin-
 cia. num. l. ff. de reb. creditis, si certum petatur
 Decius in conf. III. Angel. in verb. vsura. 2.
 10. Syluest. in eod. verb. 9. q. 2. & alij quos
 longum allegamus in c. Cum in diocesi, de
 vsuris. q. 1. conclus. 2. annotant, & nisi animi
 mutauerint, curauerintque illud iniustum lu-
 crum, quod multos diuites & potentes efficit,
 ante finem vitæ restitui quod rarissimè con-
 tingit, cum obdurata ac obscurata eorum cō-
 scientia sit, licet ob potentiam & diuitias, quas
 homines huius seculi mandatis Dei, canonum
 obseruationi, & præceptis Ecclesiæ præponit
 in hoc mundo, cum Christi fidelibus sepul-
 turam communem fortiantur, post finem vi-
 tæ tamen sepelientur cum diuite epulone in
 inferno, & Deo mammonæ, cui fidelem ser-
 uitudinem præstiterunt, coniungentur: Quia se-
 cundum immobilem Dei iustitiam, potentes
 potenter tormenta patientur, si sua potentia
 in oppressione pauperum abutantur. Atque
 hoc Deo hominibusque bonis exosum vsu-
 rariumque exercitium multis detestandum
 ostendimus in cap. In ciuitate. q. 3. de vsur.

Quintum. Pessimè etiam illi faciunt, qui
 vendunt expectata solutione ad terminum

nullo

nullo determinato pretio: aduentante autem termino, consilium contra Christum ineunt, pretiumq; intolerabile determinant, & varijs modis extorquent. In qua arte sancti prædicantur, qui tantum vnum thalcrum ratione expectatæ solutionis de maldro frumenti percipiunt, licet maiores Iudæis apud Deum sint teneratorum.

Tertia difficultas. An & quomodo venditio illicita reddatur propter defectum rei vendita?

PRIMA Conclusio. Qui decipit aliquem in venditione ratione substantiæ rei & speciei, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem, exempli gratia, si quis rustico vendat vas stanneum bene politum pro argenteo: vel vinum mixtum aqua pro bono & puro vino pro pretio puri vini. Isaia 1. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua. Committitur in tali casu manifesta iniustitia; quoniam valor rei non est æqualis pretio: Si autem pretium diminuatur pro valore rei, non esset iniustitia. Maxima autem est iniustitia vendere aquam pro vino. S. Tho. 2. 2. quæst. 77. artic. 2. Sotus libr. 6. quæst. 3. artic. 2. qui legendi pro sequentibus conclusionibus, & Ioan. Medina in Cod. de rebus restituendis. quæst. 34.

Secunda Conclusio. Qui fraudem facit in quan-

quantitate, id est, pondere & mensura, mortaliter delinquit, & tenetur ad restitutionem. Deuteron. 25. Non habebis in sacco diuersa pondera maius & minus. Neque erit in domo tua modius maior & minor, &c. abominatur enim dominus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.

Tertia Conclusio. Qui alium decipit in qualitate rei, utpote vendit equum morbidum pro sano, vel aliam rem vitiosam pro bona & integra mortaliter agit, & tenetur ad reparationem damni: quia proximum decipit contra iustitiam.

Quarta. Qui ex ignorantia inuincibili & probabili prædictis modis aliquid vendit, non peccat, tenetur tamen ad restitutionem, cum ad eius notitiam venerit.

Quinta. Quæ dicta sunt de vendente, intelligenda etiam de emente. Si enim venditor esset simplex, & non cognosceret rei pretium, & emptor emeret rem pretiosissimam vilissimo pretio, peccaret cum obligatione pretij restitutionis: vel à rustico vendenti equum sanum & bonum pro morbidum, quia defectum aliquem reputaret non existentem.

Sexta. Quando vitium rei occultum est, per quod emptori, vel damnum datur, vel periculum creatur, illicitum est celare, & vendens tenetur ad resarciendum damnum, si quod sequitur. Si autem vitium occultum, & emptori

tori non sequitur damnum, nec periculum
instat, modo emptori res sit utilis pro pretij
ratione & quantitate, vendens non tenetur
vitium manifestare.

Septima. Quando vitium est manifestum
emptori, venditor non tenetur significare:
quia nulla est necessitas divulgandi.

Ex his possunt aliqui casus resolui.

Primus. Quid dicendum, si quis vinum v-
nius generis pro alio vendat, exempli gratia,
Mosellanum pro Rhenen.

Resp. Si æquum sit pretium, & alius si sciret
non emeret, peccat quidem, sed ad nullam re-
stitutionem tenetur, cum non committatur
iniustitia.

Secundus. Adueniunt multi milites, hospes
non potest omnibus satisfacere propter mul-
titudinem, diminuit mensuram. An liceat il-
lis dare minorem mensuram.

Resp. Si sit necessitas, & non possit alias om-
nibus subuenire, non committitur peccatum,
nec restitutionis obligatio: Si pro diminutio-
ne mensuræ, etiam pretium diminuatur: Si
autem mensura diminuatur, & non pretium,
manifesta est iniustitia. Idem est iudicium de
pistoribus, qui panes militibus vendunt.

Tertius. Hospites ad quid teneantur, quan-
do aduentantibus, vinum aqua mixtum pro-
ponunt.

Resp. Si æquitas pretij seruetur, peccatum

E c com-

committitur, si peregrini scirent, & non eme-
rent: At si vinum aqua mixtum pro pretio pu-
ri vini vendatur, manifesta iniustitia est, nasci-
tur restitutionis obligatio.

*Dubium. An emptor teneatur reuelare venditori
iustum rei pretium, quando est ignarus.*

QVAMVIS Caietanus in verb. Emptio
dicat, quod non teneatur, tutior tamen
sententia est, quod sic: quia alium decipit, &
non voluntariè sic vendit, Calderin. & Panor-
mit. in cap. fin. de vsur.

*An licitum sit vendere rem cum pacto de retrouen-
dendo tempore statuto, vel quando pla-
cuerit venditori?*

DE hac venditione legendi canonistæ in
capit. Ad nostram de emptio. Conar.
lib. 3. variar. resolut. cap. 8. Nauarrus in Ma-
nuali, cap. 17. num. 247. & in commentario
de vsuris. nu. 78.

Dicendum primo. Talis contractus de retro-
uendendo, est multum suspectus de vsura, et
d. cap. Ad nostram. & DD. citatis.

Secundo. Contractus venditionis cum pa-
cto de retrouendendo eandem rem tempore
definito aut indefinito est licitus, l. si fundum.
Cod. de pactis inter emptorem & venditorem
compositis: quia ibi nulla interuenit iniusti-
tia, cum tam venditor, quam emptor sine
alte-

alterius detrimento lucrum consequatur. Ad iustitiam tamen huius pacti aliqua concurrere debent. *Primum*, vt in rei veritate intercedat emptio, & non simuletur ab emptore. *Secundum*, quoniam huiusmodi pactum est in fauorem venditoris, & onus emptoris, vt fiat diminutio pretij. Quare quando emens huiusmodi pactum intendit, multum est negotium respectum de vsura, nisi magna charitate afficiatur erga venditorem. *Tertium*, hoc pactum nō debet esse, vt redemptio fiat maiori pretio, quam emptio facta est: pretium autem taxandum ad arbitrium boni viri. Si autem huic contractui apponatur pactum, vt res pereat periculo vendentis, & non emptoris, tunc est vsura palliata: quia iure naturæ res emptæ perit emptori, cum sit iam sua.

De Monopolio.

DE hac materia vide Sotum libr. 6. q. 2. art. vlt. in fi. Iosephum Angles in q. de empt. & vendit. Caietanum 2. 2. q. 77. artic. 1. Nauar. cap. 23. num. 92.

Monopolium, est singularis negociatio in ciuitate, cum aliquis vel aliqui afferuant merces & conueniunt, quod nolint vendere nisi eo pretio, quod ipsis videtur. Ad monopolium etiam spectant, cum duo vel tres mercatores exeunt obuiam merces aut frumentum deferentibus, & emunt, vt carius

Et 2 de in-

deinde vendant. Huc etiam referendum est, quando aliquis à principe impetrat privilegium, ne certi generis merces ab alio quam ipso in populi damnum notabile vendantur. Quando facientes Monopolium iniusto pretio vendunt, aut notabile damnum, ut plerumque fieri solet, inuehunt in rempubl. gravissime peccant cum obligatione restitutionis. et l. vnica. Co. de Monopolijs, & apponitur poena exilij, & spoliationis omnium bonorum. Idem ut tradit Iosephus Angles dicendum de librarijs, quibus conceduntur privilegia, ne quis præter ipsos talem librum excudat, aut vendat. Si ratione talis privilegij carius iusto pretio vendant, & respublica damnum in singulis personis patiatur, peccant & tenentur ad restitutionem. Nec solum huiusmodi facientes tenentur ad restitutionem, sed etiam domini concedentes privilegium hoc, & reliqui qui sunt causa iniustæ acceptionis, ut rectè Caietan. docet.

Est etiam detestabilis quasi quædam monopolij species quando rustici in elocatione reddituum, aut decimarum conveniunt, ne quis augeat nisi ad summum ab ipsis constitutam, etiam si plus redditus, vel decimæ valeant.

Licitum autem est aliquando Reipub. & principi ob bonum commune & publicam utilitatem statuere aliquos, ut aliqua minutatim pro pretio tolerabili vendantur.

CA-

CAPVT XXV.

DE CONTRACTV

Societatis.

CONTRACTVS Societatis est conuentio duorum, vel plurium conferentium pecuniam, industriam & laborem ad lucrandum in negociatione. De hoc contractu agunt S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 7. à §. 37. Conrad. de contract. quæst. 94. & seq. Angel. Sylu. & alij in verb. Societas, Sot de iustit. & Iure. li. 6. q. 6. artic. i. Canonistæ in can. Nauiganti de vsur. & inc. per vestras, de donat. inter vir. & vxorem.

Tribus modis potissimum potest hic contractus fieri.

Primo, vt duo vel plures simul per omnia conferant, vnus tantum, quantum alius in pecunia, industria, & labore. *Tribus modis contractus societatis fieri potest.*

Secundo, vt vnus ponat tantum pecuniam, alter industriam, & laborem.

Tertio, vt vnus ponat pecuniam, saluetque capitale, & alter in se suscipiat periculum pecuniæ, & suum impendat laborem, & in fine æqualiter diuidant lucrum.

Ad iustam Societatem tria requiruntur.

Quæ requiruntur ad iustam societatem.

Primum, vt negociatio sit licita; ex cap. Per vestras, de donat. inter virum & vxorem.

Secundum, vt pecunia subiaceat periculo de-

Ee 5 depo-

deponentis societatem, hoc est si pereat, peto
at ipsi, ex Gloss. recepta. 14. q. 3. cap. Plerique.

Tertium, vt seruetur æqualitas proportio-
nabiliter inter socios, habito respectu ad om-
nia, quæ concurrunt in societate, scilicet ad
pecuniæ quantitatem, industriam, pericu-
lum, & laborem, & sic vt seruetur iustitia, de-
bent commensurari pecuniæ pecunijs, operæ
operæ, lucrum lucro, damnum damno, & hæc
omnia ad arbitrum prudentis viri, & exercitia-
ti in arte.

Ex dictis infero in primis. Si quis de pe-
cuniam socio hac conditione, vt lucrum ex
negociatione æqualiter diuidatur, capitale ve-
rò indemne seruetur, nisi alij contractus ac-
cedant, de quibus postea, vsuram committit.
Deinde iusta societas postulat, vt pecunia lu-
cro & damno exponatur, ita vt tam lucra, quæ
damna sint communia, alioquin non huma-
na, sed Leonina societas censenda erit. Quan-
do autem quædam leges dicere videtur, quod
pacto fieri possit, vt inter socios fiat distribu-
tio inæqualis, intelligendæ sunt, quando vnus
ex socijs maiorem partem sortis, vel industrie,
aut laboris contulerit, & non omnes æqualem
vt communis sententia est teste Couarr. lib. 3.
variar. resolut. cap. 2. Postremo si quis contra-
hat cum aliquo, qui non est negociaturus, con-
tractus non est licitus, quia vsura palliatur, &
lucrum ex mutuo sub specie societatis acqui-
ritur.

Quis modus in contractu societatis saluandi capitale, & acquirendi lucrum?

SIMPLICITER loquendo non est licitum in societate saluare capitale, vt omnes fatentur, nisi alij contractus virtute, vel expressè concurrant, qui cum vno socio, eodem tempore, vnico actu æquiualehti, aut implicite tres contractus continēte fieri possunt, vt receptior opinio habet Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 252. & in commentar. de vsuris. notab. 14. Couarr. lib. 3. variar. resolut. capit. 2. Syluest. in verb. Societas 1. quæst. 2. Ioan. Maior in 4. d. 15. quæst. 84. & 43. Iosephus Angles loc. cit. in quæstione de contractu Societatis, 2. difficultat.

Sunt autem hi contractus, Primus Societatis, in quo vnus pecuniam, alter operam industriamque impendit, exempli gratia, Petrus tutor pupillorum habet ratione tutelæ 1000. aureos, dat negociatori Paulo in societatem.

Secundus assecurationis, quo assecurat capitale 1000. vt nihil ipsi pereat, exēpli gratia, Petrus conuenit cum Paulo, vt 50. vel aliud iustum lucrum det ad assecurandum capitale.

Tertius ad releuandas multas computationes & rationes, quæ fierēt, & necessariæ essent in anno, tam quo ad damnum, quam lucrum: Petrus conuenit cum Paulo, vt qui fortem assecurauit etiam assecuret certum lucrum pro incerto futuro ad arbitrium boni viri in arte

Ec 4 nego-

negociandi prudentis. Obseruandum quod etiam in his contractibus fraus & dolus abesse debent. De contractu Societatis legentur DD. cit. & Couarr. de contractib. a. q. 94. Canonistæ in d. ca. Per vestras. Summistæ in verb. Societas.

De societate, quæ dicitur Socida.

Ad contractum Societatis refertur alia societas, quæ dicitur Socida, seu animalium, quæ fit cum rusticis.

De qua legendi Conrard. q. 91. & seq. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 4. §. 39. Ambros. de Virginate in tract. de vsuris. Syluest. & Angel. in verb. Societas.

Pro hoc contractu in primis notanda regula generalis. Omnis societas circa animalia in qua ponuntur pacta, quibus alicui sociorum iudicio boni viri notabile damnum infertur, est illicita. Hanc ponunt S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 7. §. 39. Angel. in verb. Societas 2. Syluest. ibidem. Nauarr. in Manuali confessor. c. 17. num. 261.

In socida animalium plerunque seruanda consuetudo patriæ tam in elocatione, quam in diuisione. Quando autem dantur animalia siue vaccæ, siue oues, vel alia minuta animalia, si capita maneant penes dantem, eiusque periculo pereant, si accipiens non sit in culpa: factura autem & commoda sint communia, licitus est contractus. Semper in hac societate cauendum, vt periculum non sit penes accipi-

cipientem, sed dantem, nisi contractus asse-
 curationis accedat: Quia res quando perit,
 domino debet perire, nisi alius causam det
 damno. Vbi etiam est consuetudo, quod o-
 ues, vel alia animalia dentur in societatem cū
 pacto vt recipiens habeat dimidietatem de
 ouibus illis, aut animalibus, & commoda sint
 communia, modo etiam damna sint commu-
 nia, contractus est licitus modo alia iniusta pa-
 cta non adijciantur. Conrard. de contract. q.
 90. in casu tertio. Similiter iudicandum, quan-
 do quis dat in societatem alicui vitulos nutri-
 endos aestimatos in principio societatis iusto
 pretio, ita quod post tres, aut quatuor annos
 vendantur, & adhibita conditione, vt ante
 omnia suum capitale trahat, quod soluit, de-
 inde lucrum sit commune, modo capita sub-
 iaceant in casu fortuito periculo dantis. De
 porcis & alijs animalibus consuetis pro more
 patrie sic in societatem dari eadem est ratio.
 Semper in diuisione animalium finita societa-
 te seruandus est cōmunis, & consuetus mos in
 loco secundum DD. Quod tamen ita intel-
 ligendum, nisi malitia & peruersitate auaro-
 rum inductus sit aliquis abusus contra iustiti-
 am lædens alterā partem, & allegetur pro con-
 suetudine, cum tamen potius sit corruptela.
 Potest etiam alio modo fieri societas cum
 artifice, exempli gratia, est aliquis habēs pecu-
 nias, & cuperet honestum lucrum, est artifex,

Ea 5 qui

qui scit artificium, sed ob ineptiam non potest impendere sumptus, tunc primus dat artificii pecunias, ut ipse laborem & industriam impendat, & ad extremum diuidunt lucrum, hic contractus est licitus quando pecunia, labor, & industria rectè commensurantur, & iusta lucri fit diuisio ad arbitrium boni viri.

Cambiorum materia hinc tractari potest, quæ locum habet in magnis emporijs, sed quoniam hæc est difficilis, & experti mercatores plus de ea sciunt circa practicam, quam plerique Doctores, ut optimè Aurea Armilla in verb. Campsor ait, remitto lectorem ad Doctores, qui de Cambijs tractarunt. Sunt autem hi. Nauarr. in commentario de usuris, cuius summam repetit in Manuali Confessorum. cap. 17. à num. 283. Sotus lib. 6 à q. 8. Ioan. Medina in Cod. de rebus per usuram acquisitis. q. 5. Caietan. in opusculis Tom. 2. tract. 6. Frat. Hieronym. à Luca in tract. de Cambijs Lugdunens. qui habetur in Thom. 10. Oceanus iuris.

CAPVT XXVI.

DE MONTE PIETATIS.

MONS pietatis, ut in præfenti decoloremur, est cumulus pecuniæ vel frumenti, aut alterius rei mutuabilis publicè ad-

serua-

seruatus, ad mutuandum pauperibus, & indigentibus suo tempore.

Quamuis Caietan. loc. cit. tract. 5. & Sotus lib. d. q. 1. art. 6. montis pietatis capita impugnent, tamen mons pietatis licitus, & utilis est Reipub. Christianæ, & eum defendunt. Nau. in commentario de vsuris, à num. 59. Ioan. Medina, in C. de rebus per vsuram acquisitis. q. 10. & omnium latissimè F. Bernardinus de Bussi, in defensorio montis pietatis, contra fragmenta æmulæ falsitatis.

Forma institutionis huius montis talis est. Quidam potens, aut diues pietate, & misericordia motus, quia videt pauperes inopia premi, ad subueniendum eorum necessitati, & inopiæ, ne vsurarum voragine deglutiantur, relinquit alicui Reipubl. aut ciuitati summam, aut cumulum pecuniæ, vel frumenti ad mutuandum pauperibus singulis annis, pignori- bus acceptis, vt exiguum aliquid singulis mē- sibus soluant, pro quantitate pecuniæ accep- ta, & pro tempore, quo eam non soluerint, pro victu & salario ministrorum, qui habent curam custodiendi montem, & colligendi, aut quando necessitas exigit distrahendi pignora, aliæque faciendi, quæ ad montis conseruatio- nem necessaria sunt. Quicquid ergo in hoc monte numeratur, fit in gratiam pauperum, vt mons non pereat, nec aliquid accipitur vi- mutui, sed ad supportanda onera montis.

Con.

*Conditio-
nes montis
pietatis.*

Conditiones huius montis sunt. *Prima*, vt non detur pecunia, vel frumentum nisi ad certum tempus, exempli gratia, ad medium annum, vel integrum. *Secunda*, vt sine pignore non detur. *Tertia*, vt si statuto tempore non solvatur, pignus sub hasta sine mora vendatur, ad reficiendum cumulum montis. *Quarta*, vt non mutuetur nisi infra certam quantitatem, vt 100. ducati plus vel minus: alias non pauperibus, sed diuitibus daretur, & sic mons cum utilitate paucorum consisteret: cum tamen erigatur ad communem pauperum utilitatem. *Postrema*, vt non accipiatur plus propter mutuuum datum, quàm necessarium est ad faciendum expensas, pro conseruatione montis.

Hic mons seruatis debitis circumstantiis, est approbatus in concil. Lateranens. sub Leone Decimo, cuius Bullam Medina vbi supra ponit.

Continentiunt tamen Doctores, multò perfectius, sanctiusue fore, si tales montes omnino gratis constituerentur, hoc est, si, illos erigentes aliquos redditus, vel pecunias assignarent, pro ministrorum impensis, tunc in nullo pauperes grauarentur, vt bulla significat.

Dubiũ. An non sit licitum accipere tantum ab hoc monte à pauperibus, vt cumulus augetur, & annuè crescat?

Re.

RESPONDETUR hoc illicitum esse, ut in specie tradit Medina & Iosephus Angles in floribus loc. cit. in q. de Cambijs 7. difficult. & aperte definitur in Bulla, his verbis, (absque montium huiusmodi lucro) & ratio euidens est: quia vel illud additum soluetur ratione ministrorum: vel ratione mutui: Non primum, quia sine illo, soluitur stipendium sufficiens pro ministris: Non secundum, quia tunc esset vsura, & sic cōstitueretur mons impietatis: Nec releuat bona intentio, quia tunc vsurarij, per similem bonam intentionem excusari possent, ut rectè Medina definit.

CAPVT XXVII.

DE CENSIBVS.

DE censuum materia legendi Conrard. de de contractib. à q. 72. Dominicus Sotus lib. 6. q. 5. Medina vbi supra q. 11. Nauarr. in d. comment. à num. 69. Didacus Couarr. libr. 3. variar. resolut. à cap. 7. & Canonistæ in capit. In ciuit. de vsuris.

Census dicitur pensio rei, quæ soluitur de fructibus, seu prouentibus rei alienæ, vel dicitur ius ad hanc pensionem. Hinc alius est census materialis, ipsa scilicet pensio, quæ soluitur. Alius formalis, ius ipsum percipiendi pensionem.

Quid census sit.

Cen-

*Divisio
censuum.*

Census multis modis diuiditur. Alius dicitur fructuarius, cum fructus soluntur. Alius pecuniarius, quando pecunia soluitur. Ex parte rei super qua imponitur census, adhuc duplex est census.

Realis, qui fundatur in re fructifera, & personalis, qui in persona vna, vel pluribus, vel supra aliqua tota communitate imponitur.

Realis aut est ad tempus, aut perpetuus, & perpetuus, vel redimibilis, vel non redimibilis.

Census ad tempus, aut est determinatus ad certos annos, aut ad vitam vnius, vel duorum.

Iterum census aut dicitur reservatiuus, cui quis data alteri sua re, aut possessione, reservat sibi aliquam partem fructuum; vel pecuniam, soluendam singulis annis: aut consignatiuus, cum è contra, quis rem retinet apud se, & assignat alteri in ea aliquos fructus, vel aliquid pecuniæ.

Pro intelligentia notandum, quod in hoc contractu non est mutuum, sed emptio & venditio iuris percipiendi annum reditum siue pensionem; quod ius pecunia aestimari potest, non enim pecunia emitur pecunia, sed ius percipiendi pecuniam. Hoc ius cum sit res incorporalis & immobilis, distinguitur à pecunia, & sic pecunia comparatur. Differt hic contractus à mutuo, quia in hoc principa-

is obligatio est ad annum redditum, qui emi-
tur, & non ad sortem: In mutuo verò præci-
pua obligatio est ad sortem: accessoria ad vsu-
ram, & sic semper in mutuo potest repeti fors,
in censu nequaquam.

Communissima doctorum sententia est,
licitum esse emere census reales, vt constat ex
DD. citatis & ex Extrauagantibus Martini
Quinti & Calixti Tertij: quæ habentur inter
Extrauag. communes, in tit. de empt. & vendi-
tione.

Ad census autem redimibiles, iuxta Extra-
uagantes prædictorum Pontificum requirun-
tur octo conditiones, quas colligit Illustris-
simus ac Reuerendissimus Dominus Bartho-
lomæus Carranza Archiepiscopus Toletanus
in summa Conciliorum pagin. 366. in impres-
sione Stelsij, & explicat Nauar. in comment. 2
notab. 22.

Prima, vt census constituatur super re
certa & determinata, vt super agro, prædio,
aut domo, &c. *Secunda*, quod illa sola res ma-
neat subiecta censui, & non alia bona. *Ter-
tia*, quod iustum pretium detur. *Quarta*, vt
totum pretium simul soluatur. *Quinta*, quod
venditor possit redimere totum, vel par-
tem, quomodo, & quando sibi melius vide-
tur. *Sexta*, quod venditor ad redimendum
censum non obligetur. *Septima*, quod pere-
unte

unte re, super qua census fundatur, census
iam pereat. *Octava*, vt res censui subiecta red-
dat tantum, quantum cēsus valet. Pius Quo-
tus fœlicis memoriæ in Bulla data Romæ An-
no Domini 1568. 14. Calend Febr. plures al-
conditiones his adijcit, hanc Bullam post
Nauarr. in d. loc. post numerum 83. & eandem
explicat.

Quid est iustum pretium census?

RESPONDETUR breuiter, in hac re esse
seruandam consuetudinem prouinciarum &
æstimationem bonorum & prudentum virorum,
quando non est à Principe, vel republ.
certum determinatum pretiū: quia in diuersis
prouincijs & regionibus, diuersum est pretiū
censuum, vt est videre apud Conrard. q. 84.
Andream. Tyraquellum lib. 1. de vtroque tra-
tractu. §. 1. Gloss 6. num. 18. & Didac. lib. 3. va-
riarum resolut. capit. 10. In Germania autem
videtur constitutum, vt possint 5. emi pro cen-
tum, vt apparet ex constitutione Caroli Quinti
in ordinatione Politica facta in Comitibus
Augustanis, Anno 1548. sub titulo de usurarijs
contractibus, & hoc pretium est congruum
iuri communi, vt pro viginti vnus florenus
ematur, & sic in viginti annis pensio sortem
adæquet, ex Authentic. de non alienandis aut
permutandis rebus Ecclesiæ, §. quia vero. in
Gloss. ibidem. verb. computare, & Authentic.
Per-

Perpetua, C. de sacrosanctis Ecclesijs, & eadē
Glossa, in capit. Cum causa, de testibus, verb.
ad alium in fine.

Dubium. *An census personalis sit licitus?*

COMMUNIOR sententia est censum per-
sonalem esse illicitum: sic tenent Inno-
centius, Hoslien. Panormitan. Ioan. Andræas.
& communiter Canonistæ in cap. In ciuitate,
de vsuris. Angel. in verb. vsura. §. 74. & alij
multi quos citant Nauarr. in d. commen. nu.
81. & Didac. libr. d. cap. 7. num. 5. Qui etiam
fatetur hanc esse communem sententiam. In
contrarium posse constitui censum super ob-
ligatione personali, sunt Conrard. quæst. 74.
& 75. & aliqui recentiores. Sotus lib. 6. de iust.
& iure. quæst. 5. artic. 1. Ioan. Medina in C. de
rebus per vsuram acquisitis. quæst. II. Couar.
loc. cit.

Quantum ad veritatem huius quæstionis,
si subtiliter rem metiri velimus, non est ne-
gandum posse talem contractum fieri: At si
moraliter agamus prout Martinus Quintus
& Calixtus Tertius definiuerunt, puto talem
contractum valdè esse suspectum, nec posse
consistere. At per bullam Pij Quinti omnino
sublatus est talis personalis census: quia vult
censum fundari super re immobili, certa, &
fructifera. Quare iustissimè in prætorijs Hi-
spaniæ tam secularibus, quam Ecclesiasticis

Ff

huius-

huiusmodi census verè, aut præsumptiue v-
rarius iudicatur, vt Nauarr. in d. comm. num.
83. testatur.

*An in contractu census, si censuarius per biennium
Ecclesia, & triennio priuatis cesset à solutio-
ne, cadat re, super qua census
fundatur?*

*Differentia
inter cen-
sum & Em-
phyteosin.*

RESPONDETUR nequaquam cadere ill-
enim locum habet in contractu Emphy-
teotico ex capit. Querelam. de iureiurando
Gloss. in cap. Constitutus. de religiosis domi-
bus; & non in censuali: Est autem differentia
inter censum & Emphyteosin. Nam in censu
transfertur in recipientem dominium tam di-
rectum, quam vtile: In Emphyteosi autem
non transfertur nisi vtile, directum manet
apud concedentem. Glossa & Doctores in
d. cap. Constitutus. Solet tamen quandoque
apponi conditio in censu, vt non soluto cen-
su biennio, aut triennio cadat res in communi-
sum, tunc standū est conditioni. Quod maxi-
mè locum habet in censu perpetuo non redi-
mibili. Quando tamen talis conditio in con-
stitutione census ponitur, cum conditio gra-
uis & onerosa sit, augendum esset pretium cen-
sus. Talis autem conditio licita esset in causa
quo ex malitia, aut negligentia pensio nō sol-
ueretur, non autem si ex impotentia: quia vbi
nulla est culpa, nulla debet infligi pœna. Vide
de

de hac materia Iosephum Angles loc. citat. in
quest. de Censibus ad finem, & Didac. vbi su-
pra num. 1.

Dubium. *An contractus censuum siue pensionum
secundum eam formam, qua nunc passim
in Germania vtuntur, sit
licitus?*

HANC dubitationem post alios latissimè
disputavi in comment. de vsur. cap. In ci-
uitate. q. 12. & seq. Et quia, pastores sæpè anci-
pites redduntur ob frequentiam huius con-
tractus, volui breuius hic inserere, quæ multis
prosecutus sum in d. q. 12.

Ante omnia vt contractus intelligatur sic
formatur casus. Quidam vir diues & potens
pecunia, ne ea otiosa remaneat, aut thesaurus
absconditus sit, sed aliquid lucri pariat, emit
pensionem duorum millium aureorum à
principe, aut ciuitate libera sub sufficienti &
secura hypotheca, ita vt pro singulis centum,
annuè percipiat quinque aureos, prout in
imperio constitutionibus Carolinis de Anno
Domini 1548. in comitijs Augustanis in or-
dinat. polit. cap. 17. & sub Rudolpho Secun-
do à deputatis Imperij Francofordiæ Anno
1577. tit. 19. cautum est, & nunc consuetu-
dine omnium bonorum Deum timentium
receptum, cum hoc pacto vt venditori census
sue pensionis, semper liceat pro sua volunta-

Ff a te

te pensiones eodem pretio redimere. His premissis ad discernendum, an sub hoc contractu usura pallietur, animaduertendum an emens talem pensionem reseruet sibi ut capitale omni tempore possit repetere, aut post determinatum tempus: Quod si fiat, mutuum est, & usura tegitur: Quia de natura mutui est, quod fors, siue capitalis summa possit reuocari, & recipiens teneatur ad restituendum idem in genere, vel specie, ut tradunt Conradus de contractibus. quæst. 8. & quæst. 33. Ioannes Medina in C. de rebus per usur. asquis. Panormitanus disput. 5. incip. Augerio. col. penult. Carolus Molinæus in tract. de commerc. & usuris. par. 17. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 7. num. 2. & communiter DD. & alibi. Nunc per conclusiones sequentes resolut. adhibenda.

Prima Conclusio. Non est negandum, longissimo tempore dubitatum fuisse de iustitia talis contractus. Conclusio ostenditur. Tempore Martini V. & Calixti III. dubitatum extitit de iustitia censuum, quorum illi Pontifices in suis constitutionibus mentionem faciunt. Sed maior erat ratio dubitandi de nostris, ut clarum est ex conditionibus, quæ inseruntur dictis constitutionibus, quas ponimus in d. q. 12. conclus. 1. Secundo probatur DD. auctoritate. Henric. de Gandauo quodlibeto 8. q. 22. Gregor. Arimennen. magnus in Theologia Magister, ut testes sunt Ioan. ab Anania in

in d. cap. In ciuitate. & Salyc. C. de vsur. in Au-
thent. Adhæc, improbarunt hunc contractū,
Innocent. & Ioan. Andr. in d. cap. In ciuitate,
& Paulus Castrens. in cons. 289. incip. Præsens
dubium videtur. li. 1. negant licitum esse eme-
re census novos, & de nouo constituere. Idem
patet ex Baldo, de Feud. in tit. Si vasallus ab
aliquo interpellatus fuerit. cap. 1. colum. 2. qui
dicit quod aliqui dicunt istum contractum nō
esse sine scrupulo vsurarum, & in cap. 1. de iu-
re iur. num. 14. refert inter quæstiones maxime
periculosas in conscientia. Faciunt ad idem
propositum Stephan. Bertrand. cons. 170. in-
cip. Non sine grandi difficultate lib. 3. Federic.
de Senis. in cons. vlt. incip. Quæstio verti-
tur. Tyraquell. lib. 1. de vtroque retract. §. 1. in
verb. Rentes. Glossa 6. num. 16. plurima addu-
cimur in dicta quæst. 12. conclus. 5.

Secunda Conclusio. Emptio annuorum no-
strorum reddituum est multum odiosa & sus-
pecta; Hanc ponimus & latius probamus vbi
supra. conclus. 6. Atque in primis confirmatur
auctoritate DD. allegatorum in præced. con-
clus. & sic Innocent. cum alijs in cap. In ciui-
tate admonet Christi fideles vt abstineant ab
huiusmodi contractibus, quibus consentit
Tyraquel. loc. cit. dum ait; Verum huiusmodi
emptionses sunt nonnihil suspectæ, ab ijsque
semper abstinui, & amicos abstinendos cen-
sui, vt etiam fecit Innocent. in d. cap. In ciuita-

te. Carol. Molin. de commerc. q. 5. à num. 128. & antea Bald. in l. Vnica. C. de his quæ pccant nomine in testam. relinq. numer. 39. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 8. num. 7. & 8. & alibi. Quatuor rationes etiam reddimus huius Conclusionis vbi supra.

Tertia Conclusio. Contractus emptionis reddituum siue pensionum ex natura sua est licitus, & non usurarius. Hanc multis etiam probamus in d. q. conclus. 8. Dictum (ex sua natura) quia, haud negatur posse apponi conditiones & pacta, quæ contractum usurarium reddant. Conclusionem docent Conrad. de contract. quæst. 83. Gerson in 2. par. in tractat. propos. 9. Richard. quodlib. 2. q. 23. artic. 3. Henric. Hoitta. de contract. dub. 5. Dominic. Sotus libr. 6. de iustit. & iure. q. 5. artic. 1. Ioan. Medina in C. de rebus per usur. acquil. q. 15. Gregor. de Valentia 2. 2. disputat. 5. q. 25. Ex Iurisperitis Guilhelm. Bont. Louan. in tractat. de usur. Chassan. super consuetud. Burgundia. Rubr. 4. §. 23. numer. 33. Molin. in d. tractat. sapissimè. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 7. Andr. Gail. lib. 2. practica. obseruat. obseruat. 7. & in Concilio Constantiens. plures DD. subscripserunt quorum nomina, cognomina, & sententias de verbo ad verbum repetimus loc. cit. Nunc conclusio duabus solum rationibus fundatur, ne Enchrydij metas transeamus. *Prima*, Usura habet

habet locum in mutuo vero vel palliato. Sed in hoc contractu nullum intercedit mutuum; cum fors, siue capitalis summa non possit repeti, sed alienetur. *Secunda*, Contractus recipiunt interpretationem à cōsuetudine, Glossa in l. Si fundus. §. in commissoria. ff. de legat. commun. Panormit. Felin. Bald. & alij in c. Cum M. de constitut. & hæc est generalis conclusio quam plurimis allegationib. comprobabat. Anton. Gabrielius libr. 6. commun. conclusionum in titul. de consuetud. conclus. 1. Ut consuetudo inspicienda ad hoc, vt videatur, an contractus sit vsurarius, nec ne. Bartol. in l. Si quis fugitiuus. §. Apud Labeonem. ff. de ædib. edict. Bald. in l. 1. Cod. de his, quæ pœnæ nom. in testam. Panormit. in consil. 15. vol. 1. Decius in cons. 170. incip. Viso themate, & his quæ narrata. Oldrad. cons. 207. incip. Vniuersis præsentis literas inspecturis, & post plures Gabriel. loc. citat. num. 29.

Sed consuetudo est non solum in Germania, sed etiam in Gallia, alijsque prouincijs celebrandi huiusmodi contractus, quam consuetudinem exercent etiam viri probi, & optimæ opinionis homines. Qua de causa cessat præsumptio Vsurarum. Oldrad. & Bald. vbi supra. Tyraquel. lib. 2. de vtroque retract. §. Finis. num. 130. Gerson. de contractib. part. 2. post principium.

Quarta Conclusio. Pactum additum in emptione

Ff 4

tionis

tione annuæ pensionis, vt venditori liceat infra certum tempus redimere & non postea, efficit non quidem contractû usurarium, sed iniustum, & ita talis conditio reiicienda, vt cæsus maneat redimibilis etiam post terminum præscriptum. Molinæus de commerc. q. 50. num. 352. Couarr. lib. 3. variar. resol. cap. 9. Ioannes Bapt. Lupus de vsur. commentar. q. 2. nu. 69. Et pro hac sententia sæpe pronuntiatum multis arestis probat Molin. & in Granatensi prætorio sic iudicatum Couarr. testatur. Cum enim emptio annui redditus sit odiosa & suspecta, talis conditio non admittenda, sed potius reiicienda.

Quinta Conclusio. Conditio addita vt liceat venditori redimere post certum tempus, ex gr. decem annos, & non prius reddit contractum census usurarium, & in totû vitiat. Molin. post alios in d. q. 50. Couar. & alij. Quia Pontificum constitutiones statim & omnitempore post venditionem volunt venditori non competere, vt se liberare valeat redimendo censum.

Sexta Conclusio. Emptio annui redditus non redditur illicita per hoc quod venditor obligat emptori aliqua bona in hypothecam, que possit distrahi secundum consuetudinem loci, aut pacta conuenta, si venditor tempore definito non soluat pensionem: aut creditor aliquod interesse patiatur ob moram solutio-

nis. Hanc tenent communiter DD. & ratio probat. De iure licitū est tale pactum in contractibus pro securitate creditoris. l. pactum. ff. de pignorat. actionib. valet pactum, quod si venditor intra certum terminum debitum nō soluerit, tunc prædia impignorata & Hypothecata liceat creditori vendere. Faciunt etiā l. C. de pact. pignorat. l. Si fundus. §. fin. ff. de pignor. l. Si necessitas. §. Si annua. ff. de pignor. action. Barthol. & Alexand. cum Gloss. ibid. quod si quis ex certo fundo teneatur solvere pensionem ad certum terminum, & non soluerit, ex tunc creditor potest pignus vendere pro pensione non soluta, & ibid. §. fin. pignus non solum potest vendi propter debitum nō solutum, sed etiam propter accessiones. De hac re latius in d. q. 12. concl. 12. Nec etiam iniustum reddit hunc contractum, quod bona hypothecæ titulo obligata debeant in valore excedere summam capitalem. Quia hypotheca non solum pro affecuratione capitalis, sed etiā veri interesse apponitur, quod moraliter contingere potest, præsertim quando ex mora pensio non soluitur.

Septima Conclusio. Conditio apposita in hoc contractu, quod bona hypothecata non possint alienari sine consensu censualistæ, non facit hunc contractum vsurarium. Ratio, quia bona hypothecata sunt obligata emptori census, vt se indemnem conferuet, quod iure fa-

cere potest, & sic hæc conditio inferuit vt con-
noscat in alienatione, an sibi bene provide-
tur: Cum multum referat, qualem quis ha-
beat debitorem, fidelem, vel infidelem, dis-
titem, an inopem.

Octava Conclusio. Non vitiat etiam talen
contractum conditio adiecta, vt si in euentu
pensio biennio, aut triennio non solatur,
emptor possit distrahere hypothecam tam
pro recuperanda summa capitali quam pro
reliquis damnis, & interesse. Hæc conclusio
constat ex communi sensu, & satis confirma-
tur ex iuribus allegatis in 6. conclus. Intelligi-
dum tamen quod hypotheca iusto pretio de-
beat distrahi: Nec emptor plus de vendita
pignore sibi referuare debet, quam suum sit
debitum.

Nona Conclusio. Licitum est etiam appone-
re eam conditionem, vt antequam fiat redemp-
tio; venditor teneatur per medium annum
aut bimestre ante redemptionem denunciare
in tali termino faciendam reuisionem. Con-
rardus de contractib. q. 83. conclus. 8. Et Pius
V. in sua Bulla de censibus eam etiam com-
probat. Apponitur illa conditio pro com-
modo emptoris, vt in tempore possit prospice-
re suæ indemnitati destinando suam pecu-
niam ad aliud honestum lucrum.

Decima Conclusio. Ad iustitiam emptionis
horum redituum requiritur iustum pretium
Patet

Patet, quia si non interueniat rectum iustum-
 que pretium, iustitia læditur, contractus si-
 mulatur, & proximus circumuenitur. Non
 est autem in omnibus locis vnum idemque
 pretium. In quibusdam provincijs emuntur
 centum, septem. In alijs 6. In alijs 8. vel 9. In
 alijs quinque, vt latius deducimus in d. cap. In
 ciuitate. q. 14. conclus. 2. In prouincijs Germa-
 niæ, quæ subsunt imperio iustè emuntur quin-
 que pro centum, ex constitutionibus Imperij
 allegatis supra in principio huius quæstionis,
 Si quid ultra quinque accipiatur, aut detur id
 tanquam vsurarium & iniquum iudicandum
 ex d. constitutione Carolina. ca. 17. Hoc enim
 pretium tanquam iustum taxatum & consti-
 tutum est à Republ. Imperatore, & statibus
 Imperij, quare nequaquam transgredi licet, vt
 latius ostendimus in dicta q. 14. concl. 5. Hinc
 si quis plus quam quinque pro centum acci-
 piat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad re-
 stitutionem excessus. Quod satis innuitur in
 d. constit. Carolina, dum vult, q. plus accipi-
 tur, aut datur, pro vsurario lucro habeatur. Sic
 in Camera Imperiali Spiræ quando emptio
 annui redditus iustam & constitutam pensionem
 excedit, reductio fit ad legitimum modum, ita
 vt tantum annuè quinq; accipiantur de 100,
 teste Andrea Gaill. practic. obseruat. lib. 2. ob-
 ser. 5. num. 11.

Vndecima Conclusio. Licet ex genere suo or-
 dere redditus fructuarios, vtpote in frumen-

to, vino, aut alijs speciebus non sit illicitum
 tamen hiscè miseris temporibus maximè
 spectum est, maioremq; fraudis iniquitatis
 speciem habet, quam si in pecunia reditus co-
 stituatur. Priorem conclusionis partem tra-
 dunt Conrard. quæst. 72. Gabr. in 4. d. 15. q. 12.
 conclus. 1. Maior. ibid. quæst. 34. Henric. de
 Hoitta de contractibus dub. 2. Innocent. Jo-
 an. ab Anania & alij in capit. In ciuitate de
 vsur. Ambros. à Vignate super capit. Salubri-
 ter, eod. tit. num. 74. Guido Papa in tractat. de
 vsur. num. 74. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap.
 7. num. 2. Nauarr. in comment. de vsur. num.
 104. & 120. & communiter alij alibi. Postero-
 rem partem tradunt Molinaus de commero.
 quæst. 21. & Didac. libr. 3. variar. resolut. capit.
 10. num. 3. & satis comprobant diuersarum re-
 gionum iudicia, & constitutiones quarum
 quædam omninò prohibent; quædam redu-
 cunt ad pecuniarios census, aliæ moderantur
 secundum valorem pecuniæ numeratæ: ita ut
 non plus in frumento, aut vino accipi possit
 quam vt pretium resolutum tantum quinque
 pro 100. efficiat, de quibus adferendo aliarum
 nationum constitutiones & prohibitiones la-
 tius egimus in dict. capit. In ciuitate. quæst. 19.
 conclus. 4. Pro hac autem materia est optima
 ordinatio politica antea facta, sed postremò
 reformata Anno Domini 1577. Francofor-
 dia à deputatis Imperij tit. 19. vbi & illius salu-
 taris

taris constitutionis ratio simul redditur : Sic autem ordinatio habet, si Germanicum idioma latino sermone exprimat : Contingit quod dum frumēta & vina in vili pretio sunt, quidam in huiusmodi speciebus emunt census, qui durāt etiam tempore charitatis annona: ita quod quandoque in pretio recipiantur pro 100. 10. aut 20. aut etiam 30. quod non solum vergit in damnum pauperum, sed etiam in preiudicium dominorum, quibus pauperes subiecti sunt : Cum exhausti necessaria substantia debitos census persolvere, & onera consueta ferre nequeant. Atque talis emptio est contra diuinas humanaeque leges, charitatem proximi, bonos mores, & praesertim contra Imperij constitutiones. Conceditur nihilominus, quod reditus frumenti, vini, aliarumque specierum emantur: Ita tamen vt non plus in frumento, vino, & alijs rebus accipiatur, quam quod solutis, speciebus in pretium pecuniae, non nisi 20. florenis vnus ematur, vt taxatio facienda habito respectu ad tempus celebrati contractus: vel ad pretium, quo frumentum & vinum currenti anno veduntur spatio 14. dierum post tempus messis, aut autumnii, &c. Qui contra hanc constitutionem fecerit dolo, astutia, aut fraude, emptor capitalem summam perdet, & alia ex officio à magistratu punietur pro ratione excessus. Hæc in constitutione, quæ malè seruatur à multis, & tamen trans-

transgressores non puniuntur fortasse
canes qui custodia ouium præesse debent
funguntur officio luporum.

CAPVT XXVIII.

DE DEPOSITO, COMMODO,
Locato, & Conducto.

DEPOSITVM est contractus, in quo do-
minium non transfertur, sed sola custo-
dia rei alteri committitur, & regulariter est in
favorem deponentis. Depositum cum nihil
in eo transferatur, non est propriè contractus,
sed quædam fidei commissio.

Depositum cum sit in utilitatem & grati-
am deponentis, quando, & quomodo de cul-
pa quis teneatur, dictum est supra. cap. 15.

Si depositum fuerit rerum consistentium
in numero, pondere, & mensura, si quis eo
vtatur, nisi prohibitio obstet, non peccat, si
intentionem habeat reddendi tantundem in
quantitate, & qualitate. Hinc si pecuniarium
sit depositum, non erit peccatum cum eo ne-
gociari & lucrum quærere, modo nullum de-
ponenti periculum immineat, & si quid lucri
depositarius ex sua industria acquirat, non te-
netur dare deponenti. Vide Syluestrum, An-
gelum, Auræ Armillam, & alios in verb. De-
positum. Nauarr. in Manuali. cap. 17. nu. 181. Si
autem

autem pecunia esset consignata, vel deponens prohibuisset, illicitum est ea uti.

Si autem depositum non consistat in pecunia, nec in eis, quæ numero, pondere, & mensura constant, uti eo invito domino, aut sine licentia eius expressa, vel præsumpta furtum est, ut DD. tradunt.

De Commodato.

COMMODATUM est, quando usus alicuius rei, quæ usu non consumitur gratis alicui conceditur: ut equi, libri, vestis & similibus rerum. De ratione commodati est, ut res gratis concedatur: Quod si pretium intercedat fit contractus locati, vel alterius generis.

Potest enim commodare omnis, qui contrahere potest, quædo absolutus dominus rei, quæ commodatur, est.

In primis peccat commodans, si commodatum ante tempus præstitutum à commodatario repetit eo invito, cum notabili ipsius damno, nisi ipse æquale damnum pateretur, si non repeteret.

Deinde commodatarius etiam peccat, quando præfinito tempore non reddit; aut deterius sua culpa etiam leuissima reddit, nec contentum, facit commodantem: Aut quando commodato utitur in usum alium, quàm concessum à commodante: aut diutius, quàm conuentum, utitur, cum notabili damno

no

no ipsius commodantis, & tenetur ad re-
compensationem damni, etiam in casu fortuito,
quia casus fortuitus ei, qui est in mora, nocet.

Tandem peccat commodatarius, quando
commodatum remittit per nuncium non ha-
bitum pro fideli, & dolo, aut culpa ipsius am-
titur, & non vult soluere, Aliter tamen ser-
endum, si remittit per nuncium habitum pro
fideli.

Commodans etiam alicui scilicet rem
tiosam, si non dicit commodatario vitium, te-
netur ad recompensationem damni, si quod
sequitur. secundum Glossam receptam in ca-
vnico de commodato. Quando commodata-
rius teneatur de damno in casu fortuito, vide
supra in cap. 15.

De hac materia lege Angelum, Syluestrum,
Auream Armillam cum alijs in verb. Com-
modatum. Canonistas in cap. vnico. de com-
modato, Nauarr. in Manuali, capit. 17. à num.
182.

De Locato & Conducto.

CONTRACTVS locationis est, per que
alicuius rei vsu non consumptibilis, vni
alteri pretio conceditur. Locato conductum
correspondet, vt ex definitione posita clarum
Is enim conductor dicitur, qui accipit loca-
tum.

Loca-

Locare potest omnis, qui plenum rei domini-
um habet, & cui non est prohibitum.

Locatio autem potest fieri omni homini,
cui emptio permiffa est, nisi is fit miles, aut cu-
rialis; his enim prædia conducere non licet.
C. de locato & conducto.

Dubium primum. *An qui conduxit agrum alie-
num, tempore sterilitatis pensionem soluere
teneatur annuam?*

STERILITAS conductorem liberat à so-
lutione annuæ pensionis, quando tempo-
rum iniuria prouenit, sine negligentia & cul-
pa conductoris; & tanta est, vt communis
consuetudo, vel regionis opinio sufficere eam
probet: aut quando tanta, vt ex tribus parti-
bus solitis non colligantur nisi duæ: aut vix
fructus sufficiunt ad expensas factas. Nec ad
hunc effectum est differentia, an pensio solua-
tur in pecunia, vel alia quauis re. Quando autē
annus non omnino, sed pro parte tantum ste-
rilis est, pro parte etiam soluenda erit pensio.
Nam sicut propter omnimodam sterilitatem
omniñò pensio remittitur: Ita quando ex par-
te est sterilitas, ex parte etiam remittenda pen-
sio est: Sicuti enim se habet totum ad totum;
sic pars ad partem. Si autem Colonus siue con-
ductor nihil ex agro, aut fundo percipit ratio-
ne terræ, sed propter tempestatem, aut com-
bustionem, aut deuastationem militum, non

Gg dici-

dicitur sterilitas ad effectū remissionis pensionis, vt colligitur ex capit. Propter sterilitatem de locato & conducto. Si autem anno precedenti vel sequenti sterilitas presentis anni recompensetur, pensio anni sterilis solvenda erit, ex dict. capit. Vide Summistas in verbo locatum.

Dubium secundum. *Quando pensio, aut merces locationis augenda?*

RESPONDETUR. Quando fertilitas et coprouenit, quod fructus industria conductoris crescunt non est pensio augenda; quia sua industria non debet ei esse damnosa nec etiam quando ex fecunditate prædij, aut fundi. Si autem casu fortuito fertilitas augetur, vtpote quia alia molendina destructa sunt, ex meo molendino plus lucri conductor habet in duplo, possum augere pro rata pensionem; sicut ob sterilitatem casu fortuito convenientem remittere pro rata teneor. Vt sentiunt Panormitaus in dicto capit. Propter. Angelus in verbo Locatio. §. i. 7. Syluest. ibidem. quæst. 14. Aurea Armilla, eodem verbo numero 17. Nauarrus in Manuali, capite 77. numero 191. & alij alibi: *Quia contrarium est eadem disciplina.*

Dubium tertium. *An locator à Colono siue conductore repetere possit rem locatam ante præfinitum tempus, & in quibus casibus?*

INQUILINVS aut conductor in quatuor casibus potest expelli, ex cap. d. Propter. & communi sententia ibidem cum Gossa. *Primus casus est*, quando per biennium non soluit canonem: si locatio fuit ad longum tempus: aut ad minimum in quinque annos. *Secundus*, si sua domo, vel re, propter aliquam superuenientem necessitatem ipse locator indigeat: Si tamen aliter commodè sibi providere possit, non diceretur necessitas ad hunc finem. *Tertius*, si domus locata indigeat reparatione, qua non indigebat tempore locationis. *Quartus*, quando conductor in domo perversè conuersatur: aut ea abutitur etiam absque damno locatoris, vt pote recipiendo meretrices, admittendo scorta, lufores, & id genus hominũ: Vel etiam quando vitur re locata in damnum locatoris, vt tenet porcos suffodientes domum, aut cædit arbores in prædio, aut non colit agros suo tempore, &c. In talibus tamen casibus dominus tenetur remittere pensionẽ pro rata temporis: poterit tamen damnum repetere, si quod passus sit.

Quando conductor aliquid necessarium, vel vtile, in re locata expendit, locator debet

Gg 2 resti-

restituere expēsas. ff. locati & conducti. l. dōminus. si tamen possit tollere expensas sine laesione rei locatæ, non tenetur locator.

Locans scienter rem vitiosam, vt vasa, domum, &c. & non indicans conductori; si damnum sequatur, non solum peccat, sed etiam tenetur ad restitutionem. Angel. verb. Locatio. §. 24. Syluest. ibidem. quæst. 18. Aurea Amilla num. 23. Nauar. loc. cit. 196.

CAPVT XXIX.

DE EXPOSITIONE Octauæ præcepti.

Non loquēris falsum testimonium contra proximum tuum, & de peccatis quæ committuntur in iudicio.

PRÆCEDENTIBVS præceptis erga proximum, cautum est, ne eum factis laedamus: hoc prohibetur, ne verbis nocentum contra iustitiam inferamus.

Per prohibitionem falsi testimonij in primis peccata, quæ in iudicio committi solent, prohibentur: Quæ perpetrantur aut falsum dicendo: aut verum, quando necessitas exigit, supprimendo: aut quando tegendum, reuelando. Deinde minus principaliter verba cum iniuria proximi extra iudicium prolata vetantur.

tur. Agetur ergo in primis hoc. cap. de personis spectantibus ad iudicium, nimirum Iudice, Accusatore, Reo, Teste, & Aduocato, quo nomine etiam significantur Notarij, Procuratores, & similes, qui in iudicio officijs funguntur.

De iustitia & iniustitia Iudicis.

IUDICIUM est actus iustitię proprius, vt patet ex nomine. Iudicium enim idem est, qđ dictio iuris, & iudicare idem est, quod ius dicere: & Iudex idem, quod ius dicens, vt tradit S. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 1. Vt iudicium autem rectum sit, tria requiruntur, nempe vt procedat ex iudicis auctoritate, iustitię affectione & prudentiæ rectitudine: Si primum desideretur, dicitur vsurpatum: Si secundum, tria requiruntur. Si tertium, temerarium. Ex defectu horum iudex varijs modis peccare potest.

Quantum ad defectum autoritatis, si Iudex non habeat iurisdictionem in eum, quem iudicat, mortaliter delinquit, & sententia est nulla. S. Thomas loco citat. artic. 2. & quæst. 67. artic. 1. Sotus libr. 3. de iustitia & iure. qu. 4. artic. 2. & alij alibi. & capit. At si clerici, de iudicijs, & capit. Vt animarum. de constitut. libr. 6. Hinc Iudex secularis peccat, quando iudicium fert in Ecclesiasticos, aut statuta, ordinationes, decretaque edit contra eorum li-

*Quibus mo-
dis ex defe-
ctu autori-
tatis Iudex
peccet.*

bertatem & immunitatem. Eadem est ratio
si causas ad suum forum non pertinentes, ut
matrimoniales, & similes cognoscat & iudi-
cet: quia tales causæ sunt exemptæ à iudicio
seculari. Idem est iudicium, si velit iudicare de
omnino occultis, quæ probari non possunt:
aut à reo inquirat occulta crimina, de quibus
nec infamia, nec semiplena probatio, quæ cõ-
stat dicto testis omni exceptione maioris, nec
indicia sufficientia extant. Quia occulta non
humano, sed diuino iudicio sunt reserua. Ex
eadem causa peccant pastores, absoluentes
non subditos; aut à casibus reseruatis, nec non
etiam iudices, aut prælati Ecclesiastici dispen-
santes in illis, quæ suæ potestati non subiant.

Ad rectitudinem iudicij secundo locore-
quiritur, ut ex affectione & inclinatione ius-
titiaæ originem ducat, ita ut non fiat contra
iustitiam, nec proferatur ex prauo affectu.
Quatuor autem modis, ut habetur, II. quest.
3. cap. Quatuor, humanum iudicium peruer-
titur; timore, dum metu potestatis alicuius
veritatem loqui pertimescimus; cupiditate,
dum premio alicuius animum corrumpimus,
odio, dum contra quemlibet aduersarium
molimur; amore, dum amico, vel propin-
quo condendimus præstare auxilium. Ex
hoc capite Iudex peccat, qui ne potentes &
magnates offendat, iniquam profert senten-
tiam: aut ultra debitum differt executio-

nem

nem iustitiæ, & tenetur ad restitutionem dam-
norum, quæ sequuntur. Iudex enim debet
fortem habere animum: vt potens sit irrum-
pere iniquitatem, ne forte pertimescat faciem
potentis iuxta Ecclesiastic. 7. Eodem pacto
peccat Iudex, qui pecuniam accipit, vt bene
vel malè iudicet: aut vt iudicare differat, vel
omittat, cum obligatione restituendi accep-
tum, vt communiter Doctores tradunt. Su-
per qua re Nauarr. multa dicit in commenta-
rio de datis & promissis, pro iustitia & gratia
in Extrauagantem Gregorij XIII. Pontificis
sempiterna memoria colendi.

Tertio loco ad rectitudinem iudicij neces-
sarium est, vt proferatur secundum rectam
rationem prudentiæ; aliter est temerarium.
Ex hoc capite in primis mortaliter agit iudex,
nisi paruitas materiæ excuset, si præcipitet sen-
tentiam. Quia proximum exponit periculo
damni, & seipsum adducit in discrimen salutis
animæ. Idem constat ex 2. quæst. i. capit. Deus
omnipotens.

Secundò temerariè agit Iudex, quando
ignarus est, & non studet legibus, nec con-
sultat alios in grauioribus negocijs, & tenetur
ad restitutionem damni, si quid partibus inde
emergit.

Tertio temerarium est iudicium, quan-
do iudex ex leuibus coniecturis, & suspi-
cioni-

cionibus ad iudicandum procedit, 2. quæst. 1. capit. 1.

Quarto in hoc peccati genus iudex cadit, quando contra iustitiam, leges, & rectam rationem iudicat, nec sequitur leges, allegata ac probata, sed propriam scientiam: Sic peccat quando non seruat ordinem iuris, utpote procedendo ad sententiam sine sufficienti probatione, quæ constat duorum aut trium testimonio: aut non existente accusatore, condemnando reum nocentem non citatum, nec auditum, dilatando vel negando iustitiam petitam: decernendo torturam sine sufficientibus indicijs, & similes actus contra leges & formam iudicij, qui ex iure iudici noti esse debent, & non confessario: & quodcumque ex his & similibus parti præiudicatur contra iustitiam, Iudex tenetur ad recompensationem. Hoc etiam spectat, quando Iudex poenam relaxat, aut condonat sine iusta causa: aut cum causa, nisi prius pars læsa iniuriam remiserit. Regulare enim est, quod Iudex non debet relaxare poenam, nisi pars læsa contenta sit, ut tradunt S. Thomas 2.2. quæst. 67. artic. 4. Sorus libr. 5. quæst. 4. artic. 4. Nauarr. in Manuali capit. 25. numer. 14. & alij alibi. Quæ autem causæ sint ob quas Iudex poenam relaxare, aut augere, vel dimittere, aut permutare possit, docet Nauarr. in Rubr. capit. Nouit. de iudicij. num. 99. Cum autem in supremo iudice scilicet

get Principe, plena potestas resideat accusato-
 re desistente, si expediat ad honorem Dei, &
 utilitatem Reipublicæ, ex causis mouentibus
 ipse potest remittere, diminuere, & mutare
 pœnam; Si autem scandalû imminet: aut me-
 ritò timetur, ne detur occasio delinquendi, si
 fiat pœnæ remissio, grauissimum peccatum
 committitur: Interest enim Reipubl. vt male-
 factores puniantur, & prouincia purgetur. l.
 congruit. de officio præsidis. Inferior autem
 Iudex, cui secundum leges præscriptus est agē-
 di modus, non potest pro suo arbitrio pœnam
 remittere, aut mutare cum constitutus tantû
 sit custos, & conseruator legum, non dispen-
 sator: quare tali casu occurrente ipse cum sci-
 entia & consilio sui superioris debet dispen-
 sare. Postremò Iudex potest peccare, quando
 non seruat circumstantias loci, & temporis:
 vt si quem iubet rapi è loco sacro contra im-
 munitatem Ecclesiæ. 17. quæst. 4. in multis ca-
 non. & in toto tit. de immunitate Ecclesiarû:
 Aut si strepitus iudicij, aut processus expediat
 in die festo, contra capit. 1. & final. de ferijs. In
 multis alijs ratione sui officij Iudex delinque-
 re potest, de quibus canones & leges agunt, &
 Summistæ in verb. Iudex & iudicium, legendi.

DE Accusatore.

ACCUSARE tenetur aliquis, quãdo cog-
 noscit crimen, quod vergit in detrimen-

Gg 5 tum

tum reipubl. & multitudinis spirituale, non temporale; si aliter impediri non potest, & sufficienter probare valeat. S. Thomas 2. 2. quæst. 68. art. 1. Caietan. ibidem. Sotus lib. 2. cap. 5. artic. 1. Nauarr. loc. citat. nu. 32. & alij alibi.

Quia in tali casu bonum publicum, anteponendum est malo particulari, quod ex accusatione sequitur. S. Thomas vt Sotus & alij sentiunt, videtur compræhendere sub accusatione iudicalem denunciationem, quæ solè differt ab ea, quod denunciatus non tenetur probare, sed tantum iudici indicare, vt inquirat.

Accusatio iniusta redditur, si accusator: vel per calumniam falsa crimina imponitur: vera, quæ probare non potest: vel per praui-ricationem siue collusionem, fraudem adhibet, nempe inclinando in fauorem & partem rei: vel per tergiuersionem omninò desistit à persecutione causæ. In hoc enim, quod desistit, terga quasi causæ vertit. Vide 2. quæst. 7. Si quem pœnituerit.

Tergiuersatio autem non semper est crimen, sed solum quando accusator tenetur in accusatione persistere. Tergiuersatio autem est sine culpa, si quis in propria causa desistat: aut in publica leui cū diffidit de probatione, tunc cum reo potest conuenire ex d. c. Si quem: aut quando ex causa animum mouente principis auctoritate processus tollitur, ex eod. cap. Qua-

Quando accusator altero istorum trium modorum iniustitiam committit, nisi paruitas rei excuset, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem damni, quod sequitur: Quia proximum lædit contra iustitiam.

De Reo, aut Accusato.

DE hac materia legendi S. Thomas 2. 2. q. 69. Sotus libr. 5. qu. 6. Nauarr. in Manuali. loc. cit. à nu. 35. & cap. 18. à num. 57.

Quia hæc materia lata, vt clarior sit resolutio, veritas per conclusiones resoluetur.

Prima Conclusio. Quicumque legitimè à suo iudice de proprio crimine interrogatur, tenetur sub peccato mortali crimen suum confiteri, & veritatem aperire, etiamsi ob confessionem criminis morte plectendus foret. S. Thom. artic. 1. Sotus, & Nauarrus, & idem capit. inter verba. II. quæst. 3. conclus. 6. & alij alibi. Quia virtus iustitiæ est ad salutem necessaria, ergo quicumque eam tenetur seruare. Iustitia autè subditum compellit superiori obedire, iuxta Præceptum Pauli. Omnis animã potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.

Secunda Conclusio, Quando reus à non suo iudice, nec secundum ordinem iuris interrogatur, non tenetur suum crimen confiteri. Quia quisque potest se, suaque defendere: nisi iure ad contrarium compellatur.

Tertia

Quādo iu-
dex reum
legitimè
interroget.

Tertia Conclusio. Iudex legitimè reum interro-
gat quando tria concurrunt.

Primum, quod sit iudex competens rei.

Secundum, quod crimen plenè probatum sit; vel semiplenè per vnum testem omni exceptione maiorem; aut vt præcedant iudicii sufficientia; aut infamia probata.

Tertium, vt huiusmodi probatio illi aperitur, vt sciat in quo statu sit. His seruatis, reus tenetur fateri veritatem; Quod si nolit, nec habeat animum confitendi si iterum à Iudice legitimè interrogaretur; non est in confessione sacramentali absoluendus, cum non sit contritus, vt tradunt Nauarrus in Manuali, cap. 25. num. 36. & Sotus in lib. de ratione regendi & deteg. secretum. q. 7. memb. 2.

Quarta Conclusio. Reus siue iustè, siue iniustè in iudicio interrogatus, citra peccatum mortale non potest mentiri: aut veritatem mendacio tegere. S. Thom. in art. 2. & 3. Sotus ibidem. & Caietan. Nauar. in cap. Fratrum. num. 27. de pœnit. d. 5. & in Manuali cap. 18. num. 3. & alibi. Couarr. lib. 1. variarum resolutionum cap. 1. num. 2. & alij alibi. Si autem in iudicio leue diceretur mendacium, etiam in re pertinente ad iudicium, esset solum veniale, vt sanior sententia contra Caietanum sentit.

Quinta Conclusio. Reus de se confessus, quādo interrogatur de suis complicibus & socijs criminis in casibus exceptis, vt vocant, tenetur

eos reuelare nisi crimina sint correcta: Quod si nolit, non est absoluendus, & confessarius, si absoluat non obligando ad denunciationē peccat, vt Nauarr. & Sotus tradunt, & huius rei reus admonendus est à confessario, vt intelligat, quos denunciare teneatur, quia tenetur eos reuelare etiamsi à Iudice non interrogetur, qui tamen etiam in talibus casibus tenetur interrogare de complicibus, quando ratio dictat reum habere complices.

Sunt autem hæc crimina excepta Latrocinij, Falsæ monetæ, Proditionis, Coniurationis, Maleficorum aut fagarum, Læsæ maiestatis, Hæreseos, &c. de quibus Glossa & Doctores in capit. i. de confessis, & eadem Glossa in lege. Quoniam liberi de testibus, à Theologis autem omnia dicuntur excepta, quæ sunt in damnum tam spirituale, quàm temporale Reipublicæ & multitudinis, si non sint correcta: sed in futurum pendeant.

Sexta Conclusio. Quamuis nullo modo liceat reo in iudicio mentiri, quando iniuste & præter ordinem iuris interrogatur, potest tamen veritatem prudenter occultare, non respondendo ad ea, quæ proponuntur, vel vtendo verbis amphibologicis, & æquiuocis, quæ alium sensum admittunt: aut etiam appellando, subterfugere, Sanct. Thom. artic. 2. Sot. ibidem. Nauarr. latè in commentario ca. Humanæ aures. 22, quæst. 5. in quæst. 2. commenti. & quæst.

& quæst. 3. num. II. & in Manuali Confessione-
rum cap. 25. num. 43. Quando aliquis non
tenetur respondere iudici, etiam adiuratus
potest urbanè ei dicere, quod non tenetur re-
spondere, cum non iustè interrogetur, & si co-
gere velit appellare; si non timet iudicis leni-
tiam: & si hoc timet, respondere potest, se ni-
hil scire subintelligendo intra se, quod dicere
teneatur: aut etiam se non fecisse scilicet, vel
prodebeat, mente concipiendo. Aliter
tamen se res habet, quando aliquis iustè inter-
rogatur secundum ordinem iuris: quia tunc
tenetur veritatem ad mentem iudicis simpli-
citer sine ambagibus, & æquiocatione con-
fiteri, & dare gloriam Deo, cuius vicem iudex
obtinere, quando rectè iudicat.

Septima Conclusio. Quamvis reus in iniusta
causa, quando à iudice grauatur possit appel-
lare: Non licet tamen iniustè hoc facere causa
differendæ: aut repellendæ iustæ sententiæ, s.
Thom. artic. 3. Sotus eodem artic. & alij alibi.
Quia sicut Reo imponere, calumnia est, sic et-
iam Iudici: Qui autem dolosè & iniustè appel-
lat, præterquam quod obedientiam violens
parendo iudici, etiã re ipsa ei imponit falsum,
quasi per iniustam sententiam læserit.

Octaua Conclusio. Reus iustè condemnatus
etiam ad mortem, non potest se defendere, sed
tenetur parere sententiæ. Quia qui potest
tunc

ti resistit, Dei ordinationi resistit, Roman. 13. & ipse sibi damnationem acquirit. Qui autem se contra proprium iudicem defendit, potestati resistit.

Nona Conclusio. Iniuste damnatus ad mortem potest iudici resistere, nisi scandalum detur: ex quo grauis perturbatio timeatur. S. Thom. in art. 4. & Sotus ibidem: quonia iniusta sententia nullam subdito inducit obedientiam. Hinc à fortiori, iniuste detentus potest vincula rumpere, carcerem frangere, aliaque facere quæ necessaria sibi sunt ad euasione.

Decima Conclusio. Reus, qui ritè interrogatus negauit delictum, quod confiteri tenebatur, & nihilominus ob aliud damnatus ducitur ad supplicium, non tenetur ad confitendum illud, nisi notabile damnum inde probabiliter sequeretur. Quia contrarium nullo iure conuincitur; cum ad eius animæ salutem sufficiat sacramentalis confessio cum absolutione, vt recte Nauar. in Manuali Confess. cap. 25, num. 38. tradit.

De Teste.

PECCATVM testis maximè prohibetur octauo præcepto. Non dices falsum testimonium contra proximum tuum.

Prima Conclusio. Quando aliquis à suo iudice se-

ce secundum ordinem iuris in testem requiritur, tenetur testimonium ferre. Quia quicumque subditus tenetur obedire suo superiori iusta præcipienti.

Secunda Conclusio. Quicumque ritè in testem vocatur, si suum testimonium ita sit necessarium, ut sine eo proximus periclitetur, si se fraude, aut dolo subtrahit & excusat, mortaliter delinquit, cum obligatione restituendi damnum. Angelus verb. Testis. §. 26. & 27. Sotus lib. 5. quæst. 7. art. 1. Nauarr. in Manual. cap. 25. num. 41.

Tertia Conclusio. Si quis in testem vocetur super criminibus occultis, de quibus nulla præcedit infamia, nec adsunt indicia, aut semiplena probatio, non tenetur testimonium dicere. S. Thom. 70. art. 1. Sotus & alij, ratio patet ex supra dictis.

Quarta Conclusio. Quodcumque aliquis potest suo testimonio proximum liberare aut ab iniusta morte, vel à falsa infamia, vel ab iniquo damno, tenetur id facere. S. Thomas & Sotus loc. d. hæc autem obligatio est charitatis, & non iustitiæ. Scriptum est enim, Eruos, qui ducuntur ad mortem, & in Psalm. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Eadem conclusio à fortiori est vera, quando quis scit crimina, quæ sunt in exitium spirituale, aut temporale Reipublicæ.

Quinta Conclusio. Extra tales casus nemo tenetur

netur sua sponte testimonium ferre, nisi legitime compellatur; quia nec ratio iustitiæ vrget, nec charitas cogit secretum; quod aliquis scit, reuelare.

Sexta Conclusio. Testis, qui pro ferendo testimonio vero pecunias recipit, mortaliter peccat cum obligatione restituendi ei; à quo accipit. S. Thom. q. 71. artic. 4. ad 3. Sotus loc. citat. q. 8. art. vlt. in fine. Nauarr. num. 45. c. d. Angel. Syluest. Aurea Armilla in verb. Testis & constat ex cap. Non sanè. 14. q. 5. potest. tamen testis expensas itineris, & laboris, quem interim negligit petere.

Septima Conclusio. Quicumque testis in iudicio affirmat, quod scit esse falsum, aut dubitat esse verum, mortaliter peccat cum obligatione restituendi damnum, si quod sequitur: constat, quia peccat contra octauum præceptum; & infert iniuriam proximo.

De Aduocatò.

DE hac materia, S. Thom. in qu. 71. Sotus lib. d. q. 8. Nauarr. in Manuali. c. 25. à nu. 28. Summistæ in verb. Aduocatus.

Prima Conclusio. Aduocatus sciens & prudens iniustam causam defendens, mortaliter peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Quia cooperatur malo alterius, & dat causam damnificandi proximum. Quando autem aduocatus per ignorantiam defendit iniustam

Hh cau-

causam, excusari potest pro ratione ignorantia: Si ignorantia inuincibilis, omnino excusabitur: Si autem vincibilis, non excusabitur: quia aut causam non acceptet: aut studeat cum diligentia.

Quando autem Aduocatus dubitat de iustitia causae, potest acceptare, debet tamen partem suam dubiae iustitiae admonere: Cum autem in processu iniustitiam discernat, desistere tenetur, & suam partem instituire.

Secunda Conclusio. Aduocatus non exiens aptus ad patrocinandum, si patrocinetur mortaliter peccat. Panorm. in Rub. de postulat. S. Thom. art. 2. Nauarr. nu. 28. Talis enim exponit proximum probabili damno.

Tertia Conclusio. Licitum est aduocato patrocinium suum pretio aestimare: quia non tenetur patrocinium & consilium suum causis aliorum gratis praestare, ergo vendendo non peccat contra iustitiam, S. Tho. & Sot. in art. 4. Moderandum est autem stipendium pro magnitudine causae, scientiae, & laboris, secundum consuetudinem regionis: Si ergo excedit, et accipit plus quam debet, peccat.

Tenetur autem aduocatus causae pauperum gratis praestare patrocinium, quando non est alius, qui velit suscipere: alias mortaliter peccat. S. Thom. & Sot. quaest. d. artic. 1. Caietanus & Aurea Armilla cum alijs in verb. Aduocatus.

Quarta

Quarta Conclusio. Aduocatus peccat, quando conuenit de quota parte litis, dimidia, tertia, aut quarta, &c. quia hoc legibus prohibitum, ne detur occasio fraudibus, dum aduocati hac compensatione contendunt vincere per fas & nefas, Nauar. & Summistæ loc. cit.

De Notario.

DE hoc vide Summas in verbis Notarius, & Tabellio. & Nauarrum in Manuali, cap. 35. à num. 52.

Prima Conclusio. Notarius si per ignorantiam suæ artis alicui damnum infert, peccat, & tenetur ad recompensationem damni, exempli gratia. Si testamentum ex eius ignorantia minus fuit solemne, quam ob causam hæres institutus hæreditatem amittit: probatur Conclusio. Per regulam iuris in 6. Non est sine culpa qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet, & constat etiam, qui enim sua culpa causam damni dat, damnum dedisse dicitur.

Secunda Conclusio. Notarius mortaliter peccat, quando non seruat capitula à se iurata, in creatione notariatus: quæ sunt. Quod conficiet instrumenta, de quibus fuerit rogatus, nihil veritatis tacendo, aut falsitatis miscendo, secundum, non reuelabit secreta sibi commissa nisi iusta de causa. Tertium, non conficiet scilicet instrumentum de aliquo contra-

Hh 2. Ctu

ctu vsurario, & de quouis illicito. *Quartum*, retinebit protocollum de instrumentis datus. *Quintum*, erit fidelis ei, à quo creatus notarius. *Sextum*, nullo amore, odio, spe, vel timore, officio suo abutetur.

Tertia Conclusio. Notarius peccat, quando rogatus ab aliquo, vt det sibi instrumentum, quod dare tenetur, non dat, aut occultat alicui instrumentum necessarium, aut rumpit, laecerat, & delet, nec non etiam si falsos testes scienter recipit: vel scripturam radit in alicuius damnum, & alterius fauorem.

Quarta Conclusio. Notarius mortaliter delinquit si excipit, & in publica forma scribit statutum, vt soluantur vsuræ, aut soluta non repetantur, & est excommunicatus. *Clement. 1. de vsuris*, eadem est ratio, si in publicam formam redigit statuta contra libertatem Ecclesiasticam, cap. Graue, de sentent. excommunicat.

CAPVT XXX.

DE TEGENDO ET DETEGENDO SECRETUM.

DE materia secreti doctissime Dominicus Sotus libellum conscripsit, & Nauarra agit in d. cap. Inter verba. conclus. 6. & in cap. Sacer-

Sacerdos. de pœnit. d. 6. & in Manuali, cap. 18.
à num. 51.

Secretum est quod à nemine: vel à tam paucis scitur, quod neque est famosum, neque notorium. *Secretum quid sit.*

Secretum est duplex. Vnum, quod ex sua natura solum ab vno sciri potest; quales sunt cogitationes, & actus hominis interiores. Aliud, quod à pluribus sciri potest, quamuis actu non sciatur, vt sunt actus exteriores, qui neque famosi, neque manifesti sunt. *Secretum duplex.*

Triplex est secreti posterioris gradus. Quoddam enim est secretum confessionis, quo omnia continentur, quæ sigillo sacramentalis confessionis clauduntur. Secundum est extra confessionem, quando homo cognoscit peccatū occultū alterius, cuius reuelatio nocet proximo in anima, corpore, honore, fama, aut fortuna. Tertium, cuius celatio à sciēte expressè, vel tacitè promissa est. Expressè quando aliquis promittit se celaturum: Ad quem gradum pertinet, quando quis prudenter alteri, vel vt patri, aut prælato, aperit, aut vt consiliū capiat. Tacitè, quando ex modo dicendi colligit, quod quis velit seruari in secreto à sciēte.

Prima Conclusio. Quicumque sub sigillo confessionis sacramentalis aliquod crimen occultum cognoscit, non potest illud reuelare absque grauissimo peccato, nisi fiat ex iusta causa cum licentia confitentis, & hic gradus se-

Hh 3 creto-

cretorum omnibus fortius ligat. De hac materia latius dictum in prima parte, de Confessione.

Secunda Conclusio. Quando aliquis eam sacramentalem confessionem dicit alicui, hoc tibi dico sub confessione, non tenetur aliquis sub sigillo confessionis celare, licet teneatur sub secreto naturæ. Innocent. Panormitan. & communis opinio in cap. Omnis. de penitent. & remission. prope finem. Nauarr. in d. cap. Sacerdos. num. 39. & alij alibi. Quia sigillum confessionis tantum obligat, quando quis sacramentaliter confitetur.

Tertia Conclusio. Quando alicuius peccatum occultum est, cuius reuelatio nocet animæ, corpori, famæ, aut bonis proximi, si quis reuelat non seruatis seruandis, mortaliter peccat quia agit contra charitatem, & violat præcepta Decalogi, de non nocendo proximo.

Quarta Conclusio. Quando aliquis promittit seruare secreta, quæ proderet non tenetur, nullo modo potest proderet etiam ad præceptum superioris: Quia iuris naturæ est seruare secretum, quod committitur. Proverb. ii. Qui ambulat fraudulentè, reuelat arcana. Qui autem fidelis est, seruat amici committitur. capit. Qui ambulat. 5. quæst. 5. & ex parte promissi nascitur etiam obligatio: quia seruare fidem est etiam iuris naturæ: Vide Nauarr. in d. capit. Sacerdos. Si autem mani-

festi-

festatio paruum & leue damnum inferat, est tantum veniale peccatum reuelare. Caietan. 2.2. qu. 70. artic. 1. Sotus de iustit. & Iure. libr. 5. q. 7. artic. 1. Nauarr. in Manuali. cap. d. nu. 62. & alibi.

Quinta Conclusio. Quando alicui committuntur secreta, quæ statim homo cum sciuerit reuelare tenetur, utpote, quia sunt in corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, si fama proximi per correctionem fraternam conseruari non potest; nec malum verisimiliter impedire valet. sciens tenetur propalare testificando, denunciando, aut alio modo; nec contra hoc per secreti commissionem potest obligari. S. Thom. 2.2. quæst. 70. artic. 1. ad. 2. Sotus loc. cit. Alphons. Castrens. lib. 2. de iusta hæreticorum punitione. capit. 25. & alij alibi.

Ex dictis in primis infertur eum mortaliter peccare, qui aliorum referat literas, aut scripturas, quando ex hoc notabiliter in aliquo proximus læditur: Quod si quis autem ex consensu expresso, aut præsumpto eius, ad quem mittuntur, aperiat, non peccat. Simile est iudicium, quando auctoritatem habens, ut pater in filium: Superior religionis in subditos, suorum literas aperiant & legunt. Deinde deducitur, eum etiam grauissimè peccare, qui libellum aut scripta fa-

mosa in aliquem inuenta publicat; talia enim quis simul ac reperit tenetur abscondere, aut rumpere, iuxta l. i. Cod. de libellis famosis.

CAPVT XXXI.

DE MENDACIO.

INTER peccata verborum frequentissimū est mendacium, ideò de eo nunc agendum, nam de alijs scilicet, susurratione, murmuratione, maledictione, blasphemia, detractione, & similibus actum est in secunda parte, quia dicta relata sunt inter filias vitiorum capitulum.

De mendacio legendi S. Thom. 2. 2. quæst. 110. Summistæ in verb. Mendacium. Nauarr. in Manuali, cap. 18. num. 3. & in cap. Humane aures. 22. quæst. 5.

*Mendaciū
quid sit.*

Mendacium est falsa vocis significatio, cum intentione fallendi.

Requiritur ergo ad rationem mendacij, vt quis enunciet falsum cum intentione dicendi falsum. Quod autem additur (cum intentione fallendi) spectat ad perfectionem & maiorem grauitatem mendacij. Nominatur mendaciū ex eo, quod contra mentem dicitur. Ex dictis infertur eum, qui falsum dicit credens esse verum formaliter non mentiri, licet materialiter falsum dicat.

Men-

Mendacium ex sua natura malum est: vnde nec licitum est mentiri, aut pro conseruatione vitæ, aut pro salute hominum, aut quacunque ex causa. Hinc ex Augustino in libr. contra mendacium in 22. quæstion. 2. capit. Primum, dicitur. Quisquis autem esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit putauerit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum.

Triplex est mendacium, Officiosum, Iocosum, & Perniciosum. Officiosum, quod nemini nocet, sed alicui prodest ad commodum. Iocosum, quo tantum leuis delectatio quæritur: vt quando quis colloquio miscet aliquod verbum falsum placendi studio; quod nulli obest. Hæc duo mendaciorum genera sunt venialia, cauenda tamen: Nam scriptum est. Noli velle mentiri omne mendacium.

Perniciosum est, quod alicui in spiritualibus, vel temporalibus detrimentum adfert, de hoc intelligendum, Sapientia 1. Os quod mentitur occidit animam, & Psalm. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Hoc mendacium est mortale, quando notabile nocementum proximo infertur: aut intenditur. Quare grauissimè peccant, qui mentiuntur in rebus fidei, religionis, & morum. S. Thomas loc. cit. art. 4. Caietan. ibidem & Nauarr. in Manuali cap. d. nu. 4. Hinc mortaliter agunt, qui scienter & prudenter falsum concionan-

Hh 5 tur;

*Mendaciū
triplex Of-
ficiosum,
Iocosum,
& Perni-
ciosum.*

tur: aut vitam alicuius sancti aliter quam se
fingunt, aut falsa miracula prædicant.

De promissis adimplendis.

AD mendacium spectat non adimplere
promissum; est enim dictum recte, dicitur
cet Deo infidelis & stulta promissio.

*Conditio-
nes requi-
sita ad ob-
ligationem
in promissis.*

Ad hoc autem, ut promissio obliget, alie
conditiones requiruntur. *Prima*, ut promissio
sit de re licita cum intentione se obligandi.
Quare si quis ficto animo promittat, aut
scitum se aliquid illiciti promittat, nulla
citur apud Deum obligatio. Eadem est ratio
de promissione rei impossibilis, quia ad im-
possibile nemo obligatur, iuxta regulam
in 6. capit. Nemo ad impossibile. *Secunda*
Conditio, ut sit voluntaria & deliberata: Unde
promissio metu, & dolo extorta non obligat
in conscientia. Quia ille, qui vim & metum
infert, non meretur, ut ei promissum ser-
vetur, ut optimè S. Thom. 2.2. quæst. 89. artic. 1.
ad 3. docet. *Deliberatio* etiam tanta sufficit
promisso, quanta in voto. *Tertia*, debet esse
de re notabili: quia ut sæpè repetitum, paritas
materiæ in omni materia excusat. Quare
si quis alicui promittat salutare amicum, aut
mandata parui momenti exequi: aut similia
leuia præstare, si non impleat, non incurrit
mortalem culpam. *Quarta*, ut non superveniat
mutatio status rerum, quæ non erat tempo-

promissi. Sic si promisi aliquam ducere in uxorem, quæ habetur pro honesta, si deinde fornicata fuerit, non tencor: aut si promisi alicui dare mutuo 100. florenos, quos habeo, spoliò à militibus, cessat obligatio: Promissio enim fit, debitis subintellectis conditionibus. Regula ergo in hac materia esse potest. Quod omnis vere, deliberata, & voluntaria promissio obliget, quando est de re licita, possibili, & notabili, nec eam mutatio rerum status superueniens tollit.

Quomodo mendacium fugiendum sit, qui legere voluerit, videat Guilhelmum Peroaldum Episcopum Ludunen. Tomo 2. de virtutibus & vitijs, in tractat. de peccato linguæ. capit. 5.

CAPVT XXXII.

DE DVOBVS VLTIMIS

Præceptis Decalogi.

9. *Non concupisces uxorem proximi tui.*
 10. *Non concupisces rem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non vniuersa, quæ illius sunt.*

DE his præceptis parum est dicendum, cum eorum cognitio aperta sit ex 6. & 7.

Du

Duplex his præceptis concupiscentia prohibetur, secundum August. in Exod. q. 71. Altera solum spectat, quid utile, quidq; fructuosum sit. Alteri propositæ sunt libidines & voluptates.

Præterea aduertendum pro intelligentia horum præceptorum, triplicem esse concupiscentiam. Naturæ, Spiritus, & Carnis.

Naturalis concupiscentia est recta concupiscendi vis, quæ à Deo auctore cum natura nobis insita est, vt sunt appetitus comedendi, bibendi, se conseruandi, &c. & hæc quando fines suos non egreditur, bona est.

Spiritualis est, qua ad desiderium eorum inflammamur: quæ carni & sanguini repugnant: & ad hanc tanquam valdè salutarem literæ literæ adhortantur, Sapient. 5. & 6. Concupiscite sermones meos, & Ecclesiastici 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.

Carnalis autem concupiscentia prohibetur præcepto de non concupiscendo, per quam nihil aliud intelligimus, quàm vsum prauæ concupiscentiæ carnalis, qui voluntati humanæ subesse potest. Si autem talis concupiscentia nullo modo voluntaria sit, non imputatur ad culpam. Nihil enim damnationis est ipsi, ait Apostolus: qui sunt in Christo IESU, & non secundum carnem ambulant. Ambulare ergo secundum carnem, eiusque desideria perficere, culpabile est: Hoc enim est quod idem

Rom. 8.

Apo-

Apostolus innuit cum dicit. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediat concupiscentijs eius. *Rom. 6.*

Nono præcepto. Non concupisces vxorē proximi tui, prohibentur omnes cogitationes, morosæ delectationes, consensus turpes, voluptates, & amores libidinosi, circa actus exteriores prohibitos sexto præcepto. Quoscunque ergo actus non licet opere externo exercere ratione sexti præcepti: hos non licet concupiscere, nec in eos consentire, eisdemque delectari propter hoc præceptum.

Decimo præcepto, prohibetur omnis concupiscentia inordinata, quæ est in damnum proximi, aut etiam consensus deliberatus, & quorum iniustitia prohibetur quantum ad opus exterius in septimo præcepto, eorum actus interiores quando non procedunt ad exteriores, vetantur hoc præcepto.

Peccant ergo hoc præcepto, qui furtis, rapinis, ludis inhonestis, aut turpi lucro delectantur. Nec nõ etiam qui rerum penuriam & annonæ caritatem expetunt, vt res suas carius vendere possint. Deinde qui aliorum necessitatem desiderant, vt ipsi aut vendendo, aut emendo lucrentur: Eadem est ratio multorum aliorum: qui vt lucrum acquirant, affe-

stant proximi malum contra iustitiam.

CA-

CAPVT XXXIII.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE,
& Ieiuniorum obseruatione.

Quinque sunt praecepta Ecclesiae.

1. Statutos Ecclesiae festos dies celebrato.
2. Sacrum missae officium diebus festis reuerenter audito.
3. Ieiunia certis diebus temporibusque iuncta obseruato,
4. Peccata tua sacerdoti proprio annis singulis confitetur.
5. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschae sumito.

De primis duobus constat ex dictis in praepcepto, Memento, vt diem Sabbathi liturgifices.

De quarto dictum in prima parte de confessione.

De quinto de Sacramento Eucharistiae dictum est. Restat hic de ieiunandi praepcepto.

De ieiuniorum obseruatione.

DE hac materia vide Canonistas in tit. de obseruatione ieiuniorum. S. Thomas 2^a 2^a quae. 147. Scholasticos DD. in 4. d. 15. Ioan. Med.

Medinam in Cod. de ieiunio. Nauarr. in Manuali, capit. 21. à num. 11. Summistas in verb. Ieiunium. & Doctissimum Didacum Coarruuiam libr. 4. variarum resolutionum, capit. 20.

Ieiunium triplex est. Naturæ, Virtutis, & Ecclesiæ.

Ieiunium naturæ est abstinentia ab omni cibo & potu, & tale ieiunium, vt suo loco diximus, requiritur ad sumptionem Eucharistiæ.

Ieiunium virtutis, est abstinentia à cibo & potu secundum regulam temperantiæ, quæ in mediocritate consistit.

Ieiunium Ecclesiæ de quo hîc agimus, est abstinentia à cibo secundum regulam à Ecclesia traditam.

Ad quid valet ieiunium?

PRIMO, ad concupiscentias carnis reprimendas, eiusque illicitos motus sedandos.

Secundo, vt mens liberius eleuetur ad sublimia contemplanda.

Tertio, ad satisfactionem pro peccatis. De his S. Thom. loc. cit. art. 1.

De laudibus ieiunij Sancti Patres differunt, Hieron. lib. 2. contra Iouinianum. Chrysost. hom. 1. & 2. in Genesim. & homil. 18. & 73. ad populum, August. in tractatu de utilita-

*Ieiunium
triplex est.*

te ieiunij. Tomo 9. Gregor. in homil. i. Dominicæ in 40. Basilius Magnus in homil. i. 2. de laudibus ieiunij. Ambr. in libr. de Hæc & ieiunio. Leo in sermon. i. 2. 3. 4. & 5. de ieiunio septimi mensis. Athanas. in lib. de virginitate. Cyprian. de ieiunio & tentationibus Christi.

An ieiunium sit in præcepto, & quid requiratur ad obseruationem huius præcepti?

PRIMA Conclusio. Ieiunium Ecclesiasticum est sub præcepto obligante ad peccatum mortale. S. Thom. in artic. 3. & in 4. d. 15. q. ad 4. Palud. & alij ibidem. Panormit. & Innocent. in Rubr. de obseruat. ieiuniorum. Summis in verb. Ieiunium. Nauarr. & Couarr. loc. cit. & hæc est communissima sententia.

Secunda Conclusio. Dies, quibus ieiunium obseruandum est, vel in iure continentur, vel ex consuetudine Ecclesiæ habentur, & sunt quatuor tempora anni. 76. dist. Quadragesima tota, de consecrat. d. 5. cap. Quadragesima & vigiliæ Apostolorum, & aliorum solemnium dierum secundum præceptum Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam.

Tertia Conclusio. Ad ieiunij obseruationem requiritur de necessitate præcepti, vnica comestio in die S. Thom. in art. 6. Panormit. & Innocent. & alij Doctores cit. & constat ex vni-

uersalis Ecclesiæ consuetudine. Dictum est (vnica comestio) quia secundum communẽ sententiam potus non frangit ieiunium, nisi aliquis potu vtatur in fraudem ieiunij. Neque etiam frangunt ieiunium, quæ per modum medicinæ sumuntur. Tempus autem refectiõnis in die ieiunij apud nos congruum erit post vndecimam vel circa: Notabiliter autem sine rationabili causa anticipare, non caret culpa.

Quarta Conclusio. Vespertina collatio moderata, pro consuetudine Ecclesiæ non frangit ieiunium, constat ex consuetudine totius Ecclesiæ, quæ pro regula in ieiuniorum materia habenda, & communi Doctorum sententia. Dictum (moderata) Quia qui faciunt collationes immoderatas, quas alij grossas appellant, nisi sint dispensati, cum nomine collationis cœnam pallient: frangunt ieiunium; & parum refert ad ieiunij obseruationem, cõtra quorundam vanam religionem, comedere calida, vel frigida; quando in debita quantitate fit excessus. Non est etiam licitum collatione solita vti in meridie & differre prandiũ in vesperum, nisi rationabilis causa ad id moueat. Si autem id ad iter faciendum: aut negocium gerendum necessarium foret, sine scrupulo fieri posset, vt tradũt Iosephus Angles in 1. part. 4. in tract. de Ieiunio, quæ. 9. §. difficult. & Aurea Armilla in verb. Ieiunium.

Quinta Conclusio. Qui in die ieiunij pluries comedit, non peccat toties, quoties comedit, sed tantum prima vice, quando ieiunium violat, & sic in vno die ieiunij, semel violato precepto, pluries comedendo non committuntur noua peccata. Sic tenent Durand. & Paludanus in 4. d. 15. Angelus verb. Ieiunium. §. 21. Syluest. eodem verb. quæst. 8. Caietanus. ibid. & 2. 2. quæst. 147. art. 8. Nauarr. in Manuali. cap. 21. numero 14. Dicitur (in die) quia alia ratio est de Quadragesima: nam qui vno die ieiunium frangit: secundo de nouo peccat, si frangat. Hac Conclusio est contra quosdam DD. qui volunt toties committi peccatum mortale quoties quis comedit in die ieiunij, sed prior sententia communior; & ratio reddi potest: quia sola illa prima commessio post debitam, vel ante eandem est, quæ ieiunium violat, & sequentes superueniunt iam ieiunio fracto.

Sexta Conclusio. Ad ieiunium Ecclesiasticum necessarius est delectus ciborum. Quia vt S. Thom. in artic. 8. tradit; ieiunium institutum fuit ad reprimendas concupiscentias carnis, ea de causa necessarium est abstinere ab escis, quæ libidinem inflammant, delectationem habent, maximeque hominem ad carnalem voluptatem prouocant: huiusmodi autem sunt, carnes animalium, & quæ ab his se-
sione

sione omnes Catholici conueniunt, contra autem hæreticos scribunt de delectu ciborum Ioannes Eckius in locis communibus. Iodocus Clychthoueus in propugnaculo Ecclesiæ contra Lutherum. Alphonsus Castrensis in libr. de hæresibus, verbo Cibus, & alij alibi.

Septima Conclusio. Quoties quis in die ieiunij vescitur cibus vetitis, toties peccat mortaliter, secundum communem DD. sententiam. Quia præceptum de abstinentia à certis cibus est negatiuum, & sic quoties violatur & frangitur, nouum peccatum committitur. Hinc etiam qui dispensationem habet de non ieiunando, non propterea potest vesci carnibus, & ouis.

Octaua Conclusio. Propter ineuitabilem necessitatem, atque fragilitatem, & euidentem languorem, licet carnibus vesci in Quadragesima: probatur ex Concil. Toletan. 8. cap. 9. vbi ita statuitur. Quisquis sine ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carniū præsumperit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione. Eadem Conclusio probatur ex vsu & intentione Ecclesiæ, quæ admittit carnibus vesci constitutis in infirmitate, vt praxis in ipsa vrbe Roma docet, nec pia mater intendit

cum tanto rigore & periculo suos filios obligare. Verum in his quando necessitas imminere videtur, consulendus vterque medicus spiritualis & corporalis, vel adhibendum consilium doctorum & piorum virorum. Quod semper faciendum, quando quis dubitat, im obligetur ad ieiunium. Alia tamen ratio est, quando causa excusationis est euidentis.

Causa excusantes à ieiunio. Nona Conclusio. Omnes iustæ causæ excusantes à præcepto ieiunij, reducuntur ad tres Impotentiam, Necessitatem, & maius bonum, S. Thom. in artic. 4. communiter receptus, & alij loc. citat.

Propter impotentiam excusantur pueri, secundum receptiorem sententiam vsque ad 12. annum completum. Conueniens tamen est, vt etiam pueri in hoc tempore se in ieiunio exerceant, pro modulo ætatis plus & minus; ob eandem causam excusantur senes senarij, infirmi, mulieres grauidæ, & lactantes, hac etiam causa excusantur pauperes, qui tantum non possunt habere, vt vnã refectio- nem simul habere queant: aliàs minimè.

Propter necessitatem excusantur omnes, qui laborare tenentur, nec à labore cessare possunt absque detrimento corporalis salutis, & status exterioris: Quando est talis labor, cum quo commodè non fiat ieiunium, hac de causa excusantur Faber ferrarius, Agricola, Carpentarius & alij qui laboriosas exercent artes.

artes. Alia tamen est ratio, quando leuiora exercitia, quæ parum laboris continent, faciunt.

Postremò ob maius bonum à ieiunio excusatur, qui ieiunando non potest sanctioribus & melioribus operibus vacare, qualia sunt opera misericordiæ spiritualia, vel corporalia, quæ suapte natura sunt opera misericordiæ: Hoc tamen limitant Caietan. & Syluest. quando huiusmodi opera fiunt ex charitate, & non propter mercedem.

In ieiuniorum obseruatione notandum, quod potest aliquando contingere, vt quis excusetur ab integro ieiunio, & non ab omni eius parte, tunc pro illa parte tenetur ieiunare. Sic etiam qui iustè excusatur à ieiunando, quando potest vesci escis ieiunio congruis, nõ debet vti vetitis.

Quis dispensare potest in Ieiunio?

PRIMA Conclusio. Summus Pontifex dispensat in ieiunijs generalibus absolutè, ne quis ieiunij lege teneatur: aut illo tempore vt communiter DD. sentiunt. Potest autem Episcopus dispensare in ieiunijs factis ex voto.

Secunda Conclusio. Quando casus singularis circa aliquem accidit, ne tali occurrente casu, aut causa teneatur ieiunare, etiam Episcopus potest dispensare, & eo absente Parochus, & quilibet religiosus cum suis subditis. S. Thom.

li 3 in 4.

in 4. d. 15. quæst. 3. artic. 2. & 22. vbi supra. & Caietan. ibid. Nauarr. loco citat. num. 21.

Tertia Conclusio. Episcopi non solum, sed etiam alij Prælati, & animarum pastores, possunt interpretari, & declarare legem non ligere aliquem in particulari casu ad ieiunandum, & in tali casu, si pastor, aut prælatus esset ignarus, non esset sufficiens: Quare hæc declaratio melius posset fieri à Doctore Theologiæ, vel canonum.

Quarta Conclusio. Quando causa est evidens, quæ excusat ab obseruatione ieiunii, non est necessaria dispensatio, aut declaratio, quando non est facilis accessus ad superiorem. S. Thom. 2.2. q. d. art. 4.



QVAR.